

# DISP. De CASTORE vel FIBRO, von Biber/

PRÆSIDE
IOH. CHRIST. Frommann D.
Disputabit
IOH. BERNHARD, à Biber
è libera Franconiæ Nobilitate
Eques,
COBURGI in Illustriss. Athenæi
Auditorio Majori
ad diem Maji
Anni
MDCLXXXVI.

# TRIFOLIUM FIBRINUM
## Biber=Klee.

Illustribus et Generosissimis Dominis Dnn. Agnatis et Parenti omni observantiæ cultu æternum colendis Exercitium hoc officiosis et filialibus manibus submissè offert atq; immul Memoriæ hoc Trifolium sacrat

Job. Bernhard à Bibra

I. N. J.

PYthagoram, Parmenidem, Heraclitum, Platonem, veterumq; alios, si quid sibi de divinis vel abstrusis in naturâ rebus viderentur exsculpsisse, occultasse sedulò, vel si ederent, paucis admodum communicasse, iisq; amicissimis & adjuratissimis, non commisisse monumentis literarum; aut si id facerent, verbis raris, exquisitis, obscuris obvelasse, observavit & prodidit Ludov. Vives de *Veri. fid. lib. 2. pag. 233. edit. Colon. A. 1543.* Sane nefas judicarunt Veteres Naturæ arcana in vulgus palam proferre: qua de causâ alii fabulatum integumentis, ut prisci Theologi, in quibus Orpheus & Musæus numerantur; alii ænigmatibus, ut Pythagorici & Platonici, quidam alii dictionis obscuritate, ut Heraclitus, propterea σκοτεινὸς dictus, philosophica occultabant. Verùm meliorem sententiam menti Philosophiæ naturalis plurium subsequentibus seculis cultorum, qui non tam sui, quam Cosmotechnitis Sapientissimi Gloriam, proximiq; emolumentum quæsiverunt, insedisse, Vererem memoriam & recens elapsam ætatem revolventibus patet. Indefessam namq; in eruendis & publicandis Naturæ thesauris ac arcanis operam posterioribus temporibus posuerunt viri istorum amantissimi, ita ut horum curâ & solertiâ abstrusiorum in Naturâ inventorum innumera ad nostram pervenerint ætatem, similemq; etiamnum operam certatim quasi Curiosi ubiq;, ponant. Tanta autem arcanorum ex ignorantiæ tenebris erutorum porrò q; eruendorum copia accepta referenda est

1. *Prona Magnatum opulentissimorum liberalitati.* Sic Alexander M. Aristoteli subministravit octingenta auri talenta, seu quadringenties & octoagies mille coronatos cum tribus hominum millibus qui sylvas, aviaria & vivaria omnis generis disquirerent per Europam, Asiam & Africam, ut omnia genera animantium ad se deferrent, quo variis illarum dissectionibus confectis de earundem universa natura accuratissimè scriberet. Ita Auctor Ioan. Bodinus Andegavensis *in Comm. in libr. Oppiani de Venat.* citante Anton.

Mizaldo *memorabil.* §. *156. p. m. 72.* Videatur quoq; Plinius *N. H. lib. 8. cap. 16.* Gamerarius *horar. subcisiv. Cent. 1. cap. 4.* Unde illam de Animalibus doctrinam libros octoginta talentorũ Græcos nominasse Conimbricenses *in Proœm. Phys.* tradunt. Reperias quoq; etiamnum passim Viros in summô dignitatis gradu constitutos, qui literarum utilitate capti, ingentibus, ut Veritatis tribunal amplificetur, sumptibus parcere non desistunt. Ferdinandum II. Magnum Ducem Hetruriæ, sicut in munificentiâ Magno illo Monarchæ non cedit, ita quoq; ad cognitionem rerum & quoad prudentiam longissimo intervallo illum post se relinquere Franc. Redi *obs. de Viperis pag. 5.* refert. Sed & privati occurrunt, qui ære & divitiis abundantes, pariq; Sapientiæ amore flagrantes magnam bonorum suorũ partem impendere gestiunt, quos inter numerandus Ulysses Aldrovandus, qui, ut in præfat. de Histor. Avium de seipso fatetur, non solùm ingentem pecuniæ vim in varias peregrinationes in diversas orbis regiones insumsit, sed & ob delineationẽ unico pictori per 30. annos & amplius annuum ducentorũ aureorũ stipendium persolvit.

2. *Doctæ animorum curiosissimorum sodalitati*, in variis, quibus Europa superbit, Collegiis, quorum scopus est, ut Vestæ gremium remotâ, propriæ experientiæ fide, veste, curiosis spectatoribus patescat. Duo autem inter ea, *Italicum* Florentiæ, & *Anglicum* Londini, utrumq; experimentale dictum, eminent. Anglicum sub Collegio Generali Collegia XI. Subcollegia dicta, fovet, quæ omnia Regia autoritate & munificentia animata orbis literatus miratur. Utinam liberalitate Principum Germani æquè ac Angli felices! exclamat Dn. D. Major *Colleg. Medic. curios. specim. 1.* Plura hoc argumentum concernentia, quæ curiosos Lectoris oculos pascere queunt, subministrat D. Sachsius *Gammarolog. curios. cap. 3.* LEOPOLDINUM sub Augustissimæ Majestatis Gratiâ in Germania viget jam & floret in indagandis Sapientiæ & Naturæ arcanis occupatissimum, inde *Natura Curiosorum Collegium* dictum, cujus Decuriæ secundæ Annum quartum Annus præsens jam vidit. *Academiæ* quoq; ipsæ, delubra Musarum, sive eruditionis & lingvarum, quæ illius sunt vehiculum, Sacraria per Europam universa, divinæ veritatis patrocinium subire & in ejus Majestate acquiescere gaudent; quanquam si arctiorem conjunctionem & necessitatem ista contraherent, quod votum est Verulamii *de augment. scient. lib. 2.*

magnus ad doctrinarum progressionem cumulus accederet, & naturalium suorum splendorem (à Græco ἄκος, *remedium*, & λαὸς, *populus*, ortum, quasi Academia sit Medicina rudis & inepti populi nebulam ignorantiæ abstergens, caliginemq; inscitiarum expurgans, referente Mildendorp. *in Tract. de Academ. lib. 1. cap. 1.*) feliciùs experimentent.

3. *Magnæ Bibliothecarum instructissimarum fertilitati.* Siquidem Bibliothecæ, quæ castella quædam & armamentaria Sapientiæ Henrico Salmuth *in notis ad Panciroll. de rebus deperdit. part. 2. tit. 22.* dicuntur, libros sapientissimorum dictis, doctissimorum scitis & experientissimorum actis & factis refertos exhibent, quorum tanta est potentia & efficacia, tanta dignitas, tanta deniq; divinitas, quod illis destitueremur, omnimodo essemus insipidi & rudes, abiq; notitia rerum præteritarum & exemplorum laudabilioram, deniq; destitueremur cognitione divinarum humanarumq; rerum, idemq; sepulchrum, quod contegeret defunctos, etiam eorum nomen aboleret, verba sunt Bessarionis Patriarchæ Constantinopolitani apud Camerarium *loc. cit. Cent. 3. cap. 72.* qui eam obrem, etiam in primô mundi seculô Bibliothecas fuisse institutas probat. Etiam præsens hoc de Bibliothecarum multitudine undiq; & in toto ferè terrarum orbe adornatarum gloriatur, quas inter celeberrima est Augusta in arce Wolfenbütelensi locata, quæ non tantum veteris, sed & præsentis ævi à magnitudine celebrarissimas, etiam Mazarinam & Palatinam Heidelbergæ, superat; quibus quidem primùm cessit, sed jam isti hæ cedunt, quia inconsultâ venditione illi plurimum est detractum; hæc verò in nuperô Germaniæ bellô per vim Romam avecta in Vaticanam transiit, Augustâ ista augustâ deinceps & magis auctâ evadente: indicem hujus quinquagies septies mille varios autores, librorum verò quasi centum & sedecim millia exhibuisse, testatur Dn. D. Conringius *in Epistolâ de Bibliothecâ Augustâ* tam curiosè quàm doctè exaratâ.

4. *Spectandæ Pinacothecarum varietatum amœnitati.* Variis in regionibus & urbibus Cimeliarchia & Pinacothecæ tam publicæ quàm privatæ, rarissima quæq; non tantùm artificialia, sed & naturalia ex regno animali, vegetabili & animali studiosè conqui-

quisita curiosis aperiuntur, quorum intuitu animus magnâ perfunditur voluptate, earumq; non ubivis prostantium singulariter imbuitur. Vide, L. B. latissimos disserendi campos quatuor, in quos digitum saltem intendere, & quasi prætereuntes (ne longius ab institutô nostrô abeamus:) eminus monstrare atq; hoc insinuare voluimus, cùm nulli, habitâ valetudinis, temporis, officii & sumptuum ratione naturam universam, omniaq; in omnibus mundi angulis corpora naturalia indagare liceat, Physicæ cultorem istis adminiculis adjutum quandam rerum naturalium cognitionem sibi comparare posse, imò ex Sacris etiam Scripturæ S. quæ divinâ, adeoq; infallibili autoritate, radiat, fontibus, si quæ de rebus naturalibus ibi occurrunt, depromere & ad suum totum transferre curioso Naturæ Scrutatori licitum esse asserere non dubitamus. Quare nec nobis vitio verti potest, si in materia propter raritatem gravi, *Zoographorum*, & quidem trium celeberrimorum, *Conradi Gesneri* Helvetii, *Ulyssis Aldrovandi* Itali, & *Joh. Jonstoni* Germani, quos Plinios & Aristoteles redivivos meritò dixeris, aliorumq; monumenta aperimus, testium insuper oculatorum, quorum conversatione uti licuit, fidem cum experientiæ nostræ documentis, utut paucis, olim in itineribus (hæc enim terra patria nostra Castores non alit) notatis adducimus. Neq; isto W. Heideri *Pohl. cap. 5.* p. 824. movemur, scribentis: *Librorum copiâ potius, quàm inopiâ nunc laboramus, & omnes ferè eaidem apponunt carnes, sed tantum condituræ diversas.* Sanè corpora naturalia in specie quæq; unam eandemq; essentiam invariatam semper habere & propagare, propterea neq; diversam, nisi impediatur, induere & monstrare ipsimet fatemur. Verùm totam sui naturam, etiam quoad singulas & minimas particulas earumq; figuram faciem & operationem propriam quodvis in specie corpus Veteribus non ostendisse, Veteres ipsi ingenuè fateri non dubitarunt, quando post signum Aristotelis finxere Mulierem facie velatam, cui nomen esset Physis seu Natura, indigitantes faciem Aristoteli tectam & non nisi vestem externam quodammodo ab eo visam fuisse. Sperlingius *Proœm. Institut. Phys. quæst. 3.* Feliciora certè sunt præsentis seculi tempora, quibus remotâ veste externâ Naturæ penetralia magis magisq;, eorum adminiculorum ope, quibus Aristoteles caruit, timari & intueri datur; ista sunt *Vitra Opticorum, Ignis Chymicorum,*



&

& *Culter Anatomicorum*, circa viva etiam Brutorum corpora occupatus, ne instrumenta ὠλικὰ & sonos propagandi ac multiplicandi mysteria, & alia plura tangam, inde non à Veteribus relicta & conditurâ diversâ parata edulia semper, sed nova multa curiosi Naturæ Scrutatores orbi erudito hactenus apposuerunt. Sint, quæ nos jam apponimus, conditurâ alia parata, modò palato grata sint, h. e. studiis Studiosæ Juventutis per Disputationem hanc exercendæ conveniant, hoc erit, de quo nobis gratulabimur.

*Castorem* autem in scenam hanc producturi, non *Castori* & *Polluci*, qui *Jovis filii* crediti apud Cephalenses maximè omnium Deorum culti fuerunt, sed FILIO DEI Æterni unigenito supplicabimus. Te igitur, O ÆTERNE ÆTERNI PATRIS FILI casto ore & piâ mente rogamus, ut, qua polles, lucis gratiâ mentem illumines, & manum regas, ut non nisi ea, quæ tuam Gloriam, & Proximi commodum concernunt, proferamus.

# PARS I.

## *Definitivam Castoris rationem, ejusdemq; causas enarrat.*

## *CAPUT I.*

### Descriptionem, Nominis notationem, sive Onomatologiam & Descriptionis rationem tradit.

§. 1. *Castor* seu Fiber est animal amphibium ex albo cinereum, in dorso nigricans, quod partim in aqua, partim in terra victitat, & ex utroq; loco pabulum venatur, lutrarum modô, quibus valdè simile est, caudâ exceptâ, quæ Castori glabra est, & lata & piscium modô squamosa, lutris longa, rotunda, hispida, rufa & ad castaneam accedens, ut & totum corpus. Ita describit Renodæus *lib. 3. Instit. Pharmaceut. cap. 14.* Joann. Marius Medicus Augustanus ex professo de hoc Animali agit in Tractatu quodam, qui posthumus in manus Excell. Dn. D. Franci delapsus *Castarologia* nomine ab hoc fuit inscriptus, & superiori annô cum additamentis perpetuis luci commissus. Ibi §. 4. hæc traditur descriptio:

*Castor* est animal quadrupes, adæquans magnitudinem felis, quæ tam in aquis quàm terra vitam degere potest, & fructibus arque arborum corticibus se satiat, præprimis ulmis, pedes anteriores sunt instar canum, quibus terram fodit, ac posteriores consimiles anserum pedibus, quibus in aqua natat atq; eam dividit. Aliter Rondeletius *part. 2. Histor. aquatil. cap. 8. p. m. 257.* & ex eo Ulysses Aldrovandus *de Quadruped. vivip. lib 2. cap. 12. p. m. 278.* & quidem ita: Castor est animal amphibium, quod capite, oculis & dentibus murem, lingvâ suem, maxillis leporem & rostrô canem barbatum refert. Cui hicà Natali Comitum Bestiæ hujus descriptionem his verbis comprehensam subjecit:

*Corpora quanta canis sunt Castoris, armaq; dentes,*
*Cauda refert piscem, quæ gaudet fluminis undâ.*
*Horrendus qui cum morsu secat omnia; fuscus*
*Est color, & pars est totius plurima venter.*

§. 2. *Oratio definitiva* resolvitur in Definitum ipsum & Definitionem sive Descriptionem. Dicitur *Descriptio*, quia nulla harum, quas recitavimus datur, nec dari potest per partes physicas omnes, materiam ac formam, quod proprie definitionis tenor exigit, sed per aliquid, quod non est essentiale descripto, in quo descriptionis ratio consistit, docente ita cum aliis B. Spindlerô *Logic. Tr. 5. cap. 1. Sect. 1.* Hinc quibusdam Descriptio Definitio Imperfecta dicitur, & quo sensu dici queat, omnem definitionem constare genere & differentiâ tradit Phil. Duttieu *Logic. part. 2. cap. 1. Tr. 2.*

§. 3. *Definitum Castor* est, quod nomen primô limine venit enodandum. Siquidem ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίγνωσις, *Principium est vocabulorum intelligentia*, quæ verba Socratis sunt apud Epictetum *lib. 1.* & juxta subtilitatum Magistrum Scaligerum *Exerc. 1. Sect. 1. Oportet prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sæpè numero provehimur in rei perceptionem.* Enodatio fiat (1.) secundum *Etymologiam.* Quoad hanc 1. & quidem *veram* Vox *Castor* natalia sua ex Græcia trahit à Græco κάστωρ, q. d. χάστωρ, παρὰ τὸ χαστὴρ, quæ vox *ventrem* significat, eò quòd propemodum nihil aliud sit, quàm venter, totumq; abdomen distentè maximam partem ventriculum & intestina implere Anatomia de-

ce-

ccar: vel quia, ut Etymologicus & Varinus habent, ἐκπρεπὲς τὸ ζῶον καὶ φρόδον ἔχον κοιλίαν. *Ventricosum est animal, corpore oblongo, cujus maxima pars in ventrem consumitur.* 2. Spuria eâ est, quam apud Isidorum *lib. 12. cap. 2.* legimus, à castrando natalia deducentem, quasi Castor probè noriit testiculos suos medicaminibus aptos esse, propterea eum præsentiendo venatorem, seipsum castrare, morsibusq; vires suas amputare. Nititur idem autoritate Ciceronis, qui *Orat. pro Æmilio Scaura* ait, *Castorem redimere se ea parte corporis, propter quam maximè expetitur.* Sed cùm fabulosa sit hæc de Castore narratio, (quam inferiùs pluribus enervabimus:) ideò Albertus M. *lib. 22. animal.* in eo, quod ob castrationem maximè Castor quæratur, nominis appellationem ponit; quæ quidem sententia primo auditu speciosa venit, verùm sana ratio, quia falsâ de quidditate castoreî hypothesi nititur, eam rejicit. 3. Matth. Martinius *in Lexic. Philolog.* istis aliam Etymologiæ rationem superaddit, dicens: *posita ab elegantiâ nomen accepisse, quia κάστορας.* In quo a. ejus elegantia consistat, non exprimit, sed mox de Castore Jovis nato subjicit sequentia: Castor videtur ab ornatu dici à κάζω, & addit: Castor & Pollux ambo post mortem inter sidera sub geminorum nomine sunt relati, & pro Diis habiti.

§. 4. Ita (2.) ad *Homonymiam* manu ducimur. Siquidem 1. *Castor* Frater Germanus ejus, qui Pollux dicitur, fuit, quamvis & ipse Pollux id nominis, Castor, æquè habuerit; teste Turnebô *lib. 15. cap. 15.* idq; ex Scriptoribus Latinis confirmante. Gemini hi Matre Ledâ vel Tyndareum Laconiæ regem legitimum Patrem habuerunt, vel adulterum Jovem quendam, quem Cicero *3. de natur. Deor.* tertium vocat. Ambo communi nomine Διόσκουροι, q. d. διὸς κοῦροι vel κοῦροι *Jovis filii* sive *pueri* fuerunt Græcis appellati. Hi Colchicæ expeditionis tempore vixerunt, quam in octavum seculum millenarii tertii ab orbe condito Chronographi referunt. Suis autem in bonum publicum meritis divinitatis post mortem pararunt opinionem tanquam principes pacationis, quòd mare totum prædonibus maleficisq; pacatum reddidissent, ut è Cæsio sive Calpurnio Basso Vossius *lib. 2. Idol. cap. 56.* monstrat. Hinc locus in cœlo is datus, ut signum constituerent Geminorum; Ser-

Servatores habiti variis hominum generibus, præcipuè nautis, qui eos in mari Deos nomine Διοσκούρων invocabant. Dabant & navibus quibusdam ab iisdem tutelam, interdum simul & nomen & insigne; qualis illa navis Alexandrina *Act. 28. v. 11.* fuit, quæ Paulum vexit, παράσημος διοσκούροις. 2. *Castores* dicuntur meteora ignita, nimir. ignes navigiorum seu marini fulgores. Appellationis rationem hanc è Diodoro Siculo Celebertrimus Thomasius locò mox citandò eruit. Is lib. 5. narrat, Orphea cum cœteris Argonautis in magna tempestate constitutum vota Samothracibus Diis nuncupasse, extemploq; pacato mari, cùm duo astra supra Pollucis & Castoris capita cecidissent, omnes eo miraculò stupefactos Deorum se providentiâ servatos credidisse. Quo factum sit, ut qui postea tempestatibus agitarentur, vota Samothracibus pro salute facerent, astraq; apparentia ad Castorem Pollucemq; referrent. Seneca *lib. 1. Quæst. natural. cap. 1.* hæc de meteoris istis tradit: *In magna tempestate apparent quasi stellæ velo* (alii malo) *insidentes. Adjuvari se nunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine.* Fusiùs hanc materiam Excell. Dn. Thomasius peculiari *Disput. de Marinis Ignibus, quos Stellas Castores vocavit antiquitas*, pro more suo doctè exposuit. Vossius de ijsdem, ut Animales sunt Dii, *loc. cit.* ut Meteora sunt, *lib. 3. cap. 10.* agit.

§. 5. *Castoris* Medici Plinius *lib. 20. cap. 17.* mox in principio, ut & *lib. 25. cap. 2.* meminit, cui in arte Botanica summam fuisse autoritatem scribit, adjiciendo de eod. pauca hæc auditu mira: *Centesimum ætatis annum excedens nullum corporis malum, ac ne ætate quidem aut vigore concussis.* Horatius *Epist. 18.* Histrionis cujusdam ejusdem nominis meminit his verbis:

*Ambigitur, quid enim? Castor sciat, an Docilis plus?*

Quem tamen locum (quod in gratiam Stud. Juventutis insero) alii de uno tantum Histrione Castore intelligunt, ut sit sensus, in dubium revocari, an Castor plus sciat, an magis sit docilis, notante Theod. Zvvingero *Theat. Human. vit. vol. 4. lib. 3. p. 1166.* Verùm editio cum Comm. Jacob. Cruquii & Jan. Dousæ ita legit:

*Ambigitur, quid enim? Castor sciat, an Dolichos plus?*

Quorum hic ad verba ista: an Dolichos plus? sic commentatur: Ita habent tres Codices, Matt. Tons. & Sil. quos secutus sum.

Do-

Dolichos autem fortasſis gladiator, aut pantomimus dictus eſt à ſtatura corporis procera: iſte ſimilia tradit. *Caſtor* quoq; fuit Vir quidam pauper apud Martialem *lib. 7. Epigram.* in quem monoſticho hoc invehit:

*Omnia Caſtor emis: ſic fiet ut omnia vendas.*

*Caſtor* Durantes Medicus ac civis Romanus noſtrâ ætate ſcriptis ſuis eximiis ſe celebrem reddidit. Ejus Herbarium Venetiis ante biennium in folio iterum prodiſt.

§. 6. Avis quandam ſpeciem Mergum cirratum majorem ob convenientiam cum Caſtore, maxima pernicitate in piſces graſſandi, *Caſtorem* vel *Fibrum* dici Bellonius in ſuis obſervationibus tradit. In Iava mures odoratos vagantes à multis *Caſtores* appellari è prima navigationis in Indiam Orientalem partem refert Aldrovandus.

§. 7. (3.) *Synonymia* reliquas *Caſtoris* appellationes ſiſtit. Cognominatur enim 1. *Fiber* à fibris ſecundum Varronem *lib. 4. de L. L.* h. e. amnium ripis, ſive extremis illarum oris, quas Fiber colit, & ubi maximè deprehendi ſolet. Fibræ enim Veteribus extrema nuncupatæ fuerunt. Verùm hanc Nominis rationem ſummo Viro Salmaſio in Exercit. Pliniaais displicere, me olim & alibi legiſſe memini. Sed cùm nominum Poſſeſſio neminem divitem reddat, hæc & alia mittimus, pollicem prementes Philipp. Cluverio, qui *Germ. antiq. lib. 2. c. 3. Ego ſanè*, inquit, *ignorare ejusmodi origines vocabulorum multò malo, quam ridiculè in eorum enodatione inepture ac turpiter errare.* 2. *Canis Ponticus* Geographis nominatur, qui tamen à cane marino piſcis genere longè diverſus eſt. Reineſio *lib. 3. var. lect. cap. 18. pag. 661.* fluminalis canis, canis aquarius. Ejus copiam aqua Ponti cujusdam provinciæ minoris Aſiæ ſubminiſtrat ſufficientem, indeq; apportatur, id quod Virgilius 1. *Georg.* his indicat - - *viroſaq; Pontus*
*Caſtorea*
ſcil. mittit. Imò fortasſis & à Ponti incolis esſe appellationem *Fibri* exiſtimat Voſſius *l. c. cap. 68.* quando lingva Celtica & Scythica valde fuere affines: ac hodiè quoq; Germanis Belgisq; id animal vocatur *bever* q.d. *bebrus*, unde bebrinæ pelles. Cui favet, ait, illud apud veterem Juvenalis interpretem: Aliàs, inquit, Bebryaci i. e. Pontici; unde pelles bebrinæ. Galba enim

Pontiens fuit. 3. *Semipisces* ab aliquibus dicitur ob vitam in terra & aqua amphibiam.

§. 8. *Germanus* Castor seu Fiber dicitur Biber/Biber/transpositis elementis juxta Scaligerum *exerc. 215.* item Bauch-Thier/ Lonicero *Herbar. part. 3. edit.* Uffenbach. *p. 600.* propter rationem supra datam. Vocem istam Biber etiam aliæ gentes, Martinio l. c. notante, ferè retinent levi tantùm mutatione, ut Italis Bivaro, Hispan. Biverio, Gall. Bievre, Polon. Bobr/ Bohem. Bebr dicitur. *Hebraicè Castorem* nonnulli dici volunt אנקה *anaka*, & quidem R. Selomon per vocem illam, quæ aliàs gemitum aut clamorem significat, occurrentem *Levit. 11. v. 30.* ubi reptilia terræ narrantur, *Castorem* intelligi contendit, quem Sam. Bocharius *Hierozoic. lib. 4. cap. 3. pag. 1067.* castrat & castigat, quod credibile non sit Mosen Castorem recensuisse inter reptilia terræ, cùm proportio sit valdè dispar; nec ratio appareat, cur à clamore & ejulatu Castor dicatur אנקה *anaka*, cum vox Castoris nihil quicquam habeat insigne. Alii per קפוד *Kippod Esai. 34. v. 11.* intelligunt Castorem, Bocharto itidem invito *tot. cit. cap. 36. pag. 1036.* ubi vocem illam pomum Eridos inter eruditos esse monstrat, tandemque *Hericium* per eam intelligendum esse multis confirmat, quæ ibi videantur. Sed quo nomine proprio *Castor* Hebræis veniat, ne quidem à Judæo quodam primario, quem hoc nomine consului, recognoscere mihi licuit, negante istud dari, regerente insuper, ne quidem in sacro codice istud reperiri; Hebræos autem hæc & similia alia plurimi non occurrentia per descriptionem in familiari cura & negotio designare, idem subjecit. Brevioribus nim. Lingva Sacra limitibus circumscribitur, quæ non nisi 1100. radices agnoscit, teste Joh. Hottingerò *Thesaur. Philolog. lib. 1. cap. 2. Sect. 6.* Inter eas autem radices, ex quibus Vox *Castor* subnasci queat, nullam occurrere proditur. R. Salomonem vocè ante dictam אנקה *anakah* alibi Hericium, alibi autem בברא i. e. fibrum, sed Gallicâ lingvâ, qua is usus est, bievre dictum, expositisse notat Gesnerus.

§. 9. Germanicum Biber quod concernit, eo insignia plura occurrunt. 1. *Fluviolus*, qui infra Ulmam, non longè ab urbecula Lepheim, à meridie Danubio jungitur. An verò ab hujus animalis copia & habitatione nomen acceperit, nemo indubie instruet: certissimum est, ait Dn. D. Francus, Senes non meminisse, quòd ibidem Fibri habitaverint. 2. *Urina Scorbuticorum* & sum-

*lamnè* cachecticorum alba & crassa, sive mictio chylosa Biber recentioribus nominatur, quasi Castor in vesica degens contenta omnia agitando turbat, quo de Dramus *de dolore scorbutico cap. 9.* & observatio Mollenbruccii *Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 1.* legantur. Moderni Medici quoq; Symptoma hoc *Castorem*, silentibus de eo Veteribus, nomine latino vocare non dubitant. 3. *Trifolium fibrinum* Biberklee saluratur, q. d. Castoris trifolium, quod Dn. D. Simoni Pauli *Quadripartit. Botanic. class. 2. pag. edit. ult. 156.* fibrinum ideò appellandum videtur, quia Fiber in spem prædæ insidias ex cavernis riparum aut cubiculis suis structurus post hoc trifolium cum post carecta latitat. Biberwurtz vocatur Aristolochia longa Tragi *Herbar. part. 1. cap. 54.* Biberhöltein centaurium minus eidem *l. c. cap. 55.* 4. Biberach/ quasi Biber & Bach Bibaracum Imperialis *Urbs* antiqua in Svevia, à Fibrorum ante extructionem ibi in loco paludoso frequentiâ nomen habens, teste Autore Descriptionis Rheni Noribergæ superiori annô editæ. Veteta ejus insignia, Castor cœruleus rubrâ coronâ in campo albo coronatus, exhibet. Theod. Hopping. *de Jure insignium cap. 8. part. 7. p. 383.* ubi novorum & jam splendidioris figuræ, qua hodie ejus insignia superbiunt, rationem subjungit. 5. Biber-Compagnie q. d. *Societas Castorina* pellium castorinarum mercaturâ celebris est apud D. Becherum in der nàruschen Weisheit / num. 4. 6. *Familia* splendidissima & antiquissima Generosissimorum in Libera Francorum Nobilitate Equitum à Castore nomen natalitium von Bibra habet, Castoriscq; iconem insignia eorundem in Scuto aureo repræsentant teste Joh. Siebmacheri in Wappen-Buch. Primaria hujus membra hodie sunt tres Viri *Illustres & Generosissimi*, quorum nomina Trifolium Fibrinum in Dedicationis loco supra expressum Lectori offert. Hos inter DN. JOHANNES a Bibra uf Irmelshausen/ Klein-Pardorff Aubstädt &c. (cui, quòd multis nominibus sibi me per quinq; lustra obstrictum habeat, me sanctissime dico) Nobilissimi Respondentis fratrumq; hujus duorum in Illustrissimo hoc Athenæo Musis invigilantium Parens est venerandus, qui & ipse in eodem olim & deinceps in aliis Germaniæ & Galliæ Pryytaneis, nec non in peregrinationibus varis Scientiarum artium & liberalium fuit studiosissimus, quasi avitus sapientiæ & literarum amor hereditariò quodam jure in posteros sit propagatus: siquidem jam olim KILIANUS à Bibra/ J. U. D. in Præpositum

Ecclesiæ Cathedralis Herbipolensis Ann. 1430. evasit. LAURENTIUS à Bibra Canonicus Moguntinus, Bambergensis ac Herbipolensis Ann. 1495. & quidem septem mensium spatiò in in Capitularem Herbipoli receptus & in Præpositum ac Episcopum electus tot Dignitatum gradus brevi subeundo tantum sui exemplum posteritati reliquit. CONRADUS III. à Bibra Ann. 1540. Episcopatus Herbipolensis Dignitate ex merito fuit ornatus: ne Generosæ indolis à MARCKARDO à Bibra Wormatiæ in Cathedromo Ann. 1209. (quo Generis laudatissimi antiquitas commendatur) per specimina strenuè & felicissimè edita, continuâ serie (quam enarrare instituti præsentis non est;) in nepotes propagationem tangam.

§. 10. *Castoridem* ob nominis affinitatem Castori jungimus, animal marinum, ab isto diversum. Quo de Ælianus *lib. 9. c. 50. Castorides*, inquit, *marina ad latera & saxa eminentia ululatum diritatis plenum & gravissimè rugiunt. earum sonitum quicunq; audierit, non effugiet*, & ut Oppianus *lib. 1. Haliευτικῶν* habet, non procul erit à morte. Quantum huic relationi tribuendum, nondum habemus compertum. Sam. Bochartus Castoridem pro fabuloso animali habet. *Castorium* substantiv. Græcis καστόριον genitales partes Castoris animalis notat, de quo inferius. *Castoreum* infecturæ alicujus species est ἀπὸ τῆς κογχύλης à conchylio secundùm Suidam & Varinum, quòd conchylia adusta Castorei odorem exerant. *Castorei* dicti fuerunt canes quidam apud Xenophanem *libell. de Venat.* ideò, quòd Castor Venatoriæ arti impensiùs addictus, hanc canum speciem alere fuerit solitus, aut, quæ aliorum est suspicio, quòd Castoribus capiendis fuerint apti. *Castorium* tripudii genus apud Veteres, καστόριον μέλος Græcis dictum, idq; Laconicum, quò in prælliis ὑπὸ τὸν ἐμβατήριον νόμον, *ad leges metricas* cantu ad tibiam factò utebantur, & quidem, ut habet Alex ab Alexandro *Genial. dier. lib. 4. cap. 8. p. 178.* b. ad excitandos militum animos, vel, ut Cœl. Rhodiginus *lib. 9. A. L. cap. 8.* tradit, quòd armatam saltationem tanquam lætitiæ Symbolum Dioscuri h. e. *Jovis filii*, Castor & Pollux comperterint primi, cum ἐρχηστικοὶ forent planè. Castoreum autem carmen, quod Plutarchò in

in Lycurgo teste, à tibicinibus incini solebat, suave fuisse, ex hoc Pindari sententiosi *Pyth. Od. 1. p. m. 130.* intelligitur;

> Τὸ κατ' ἀρχὰς
> Δ' ἐν Λυκίοισιν χρεὼν
> Θέλων ἀθρόον, χρὴ μὲν ἐπ' ἀντίπνοα
> Φόρμιγγος ἀντίμολπον.

*Castorum autem in Ratione publica finitu, considerata gratiam septisona cithara conferuntur.* Tenium de Definito.

§. 11. Antequam ad alia provehimur, præmonemus, nonnulla à nobis in sequentibus proponi, quæ omnibus fere animantium speciebus communia, & in particulari eorundem tractatione applicari & repeti queant, eaq; propterea ad generalem quandam Doctrinam spectare, indicio esse. Verùm quia specierum tractatio nrò in disquisitionem venit, Studiosæ Juventutis commodum magis, quam decorum materiæ, in hac Exercitatione me spectasse, in antecessum testatum facere volui. Prodit hoc

§. 12. *Genus Castoris*, quod in Descriptionibus §. 1. traditis considerandum jam occurrit. Hoc *Animal* est, scil. irrationale. Animal idem est ac habens animam nobiliorem, scil. sensiferam. Idem tamen nomen strictioris usûs est apud Germanos, quibus Animal significat ein Thier/ à Gr. θήρ *bestia*. Latioris est usûs apud Græcos & Latinos. Illis est ζῶον q. d. vivens: his tum Homo, tum brutum eo nomine dicitur. Animal dividitur in rationale & irrationale; hoc Brutum est. *Brutum* esse *genus* Castoris ex natura Generis patet, quia Brutum de Castore, Crocodilo, Cane, Leone & aliis pluribus specie differentibus in quid prædicatur. *Castorem* autem *esse Brutum* ex eo constat, quia definitio Bruti consensu Philosophorum confirmata ei competit, siquidem Castor est animal irrationale. Per τὸ *amphibium* idem genus nonnihil restringitur, ut jam de paucioribus complexum hoc prædicari queat, & quidem de iis saltem brutis, quæ cum Castore mediam inter aquatilia & terrestria naturam obtinent, ac utrobiq; in aquis & terris habitare queunt, ut sunt Crocodilus, Delphinus, Lutra, Testudo, Rana, Cancer fluviatilis &c. & secernitur ab his, quæ in sola aqua, terra sola, solôve aere vel etiam igni (si in hoc animal vivere potest) versantur, victumq; quærunt. Bruta autem & inter ea

Castorem, animalia irrationalia esse, ex eo elucet, quia carent intellectu, voluntate, sermone, risu & fletu, quæ omnia de Brutorum genere sumpta, licet in particulari materia, Excell. Dn. D. Christianus Franciscus Paullini, Auditor quondam noster, jam Fautor & Amicus honoratissimus, *Cynegraph. curios. Sect. 1. cap. 2. §. 2.* & seqq. curiosè & doctè deducit. Per *τὸ quadrupes* quædam pariter fit restrictio generis. Cùm enim Brutorum ratione motûs localis dividatur in Volatile, Natatile, Gressile & Reptile, *Castor* partim ad gressilia, & quidem quadrupeda, partim ad natatilia refertur, & discernitur tùm à quadrupedibus, quæ solam terram amant, tum à natatilibus, quæ solam aquam inhabitant. *Quadrupes*, definiente Sperlingiô *Zoolog. lib. 3. cap. 1.* est brutum gressile, caput, collum, dorsum, ventrem pedesq; quatuor habens. Quæ omnia Castori conveniunt. *Natatile* Castor animal est, pedibus posterioribus ad natandum aptis instructus, quorum, ut & anteriorum ratione, ad quadrupeda πολυχηδῆ καὶ πολυδάκτυλα *multifida*, quibus pedes sunt in plures digitos divisi, refertur.

§. 13 *Differentia* in Descriptionibus tradita specificam Castoris rationem, quæ à Forma ejus specifica debebat peti, fiunt in rebus materiam & formam habentibus secundùm Fontecam *lib. 5. Met. c. 7. q. 4. §. 1. & 3.* requiritur, non sistit. Formæ enim, ut rerum omnium, sic & Castoris, latent. Propriorum tamen collectio Differentiæ officiô quadantenus fungitur, & à reliquis animantium speciebus discernit, quod à posteriori fieri Philosophi dicunt. Facimus ergò, non quod volumus, sed quod debemus.

§. 14. *Divisio Castoris* ut universalis in species nulla habetur, cùm nulla proprietatum diversitas reperiatur, quæ Castores specificè à se invicem discriminet. Divisio autem Castoris, ut subjecti in accidentia, dari potest, quæremus 1. ratione *coloris* Castorum alii nigriores, alii rufescentes, alii utriusq; coloris participes sunt. 2. ratione *quantitatis* alii majores, alii minores. Quô 3. ratione *Sexus* in marem & fœminam divisio refertur, & 4. ratione *dignitatis*, alii Domini sunt & nobiles, alii servi & ignobiles. Quo de tamen infra part. 2. cap. 2.

CA-

# CAPUT II.

## Causas Castoris internas, Materiam & Formam proponit.

§. 1. *Castor* animal est, & quidem corpus vivum, constans Corpore organisò & animâ sensitivâ, proinde Corpus Naturale est, materiâ & formâ, quæ sunt principia Corporis Essentialia, præditum.

§. 2. Non ergò jam in *Materiam creationis* primi *Castoris* in Hexaemero à summo rerum omnium opifice producti inquirimus; siquidem an ex aquâ solâ, ut natatile, an ex terrâ, ut animal terrestre, an verò ex utroq; elemento, quia âmphibium est, sit creatus, è sacra Mundi Historia, à Mose conscripta, inquirenti non patet: de eo autem non dubitamus, *ex nihilo* primum Castorem fuisse creatum, non quidem ex nihilo simpliciter, sed *respectivè tali*, quatenus materia ista, sive aqua, sive terra, sive utrumq; Elementum fuerit, nullam ad id, ut ex eo animal vivum produceretur, potentiam naturalem habuit. Natura enim nondum producta, sed producenda erat, quæ actione propriâ & naturali debuisset vivum producere.

§. 3. Non *Materiam generationis* hoc loco spectamus, quæ formam Castoris generatione producendam recipit, & Semen est, diciturq; materia generationis *prima*, atq; in instanti fit; *Secunda* autem eadem Seminalis est materia, sed formâ in instanti isto productâ jam impregnata, ex qua singulæ partes organicæ & inorganicæ caloris ope deinceps successivè & ordine distinctæ ab anima Castorina præsente mirâ subtilitate oculorum aciem eludente formantur, nutriuntur & ad perfectionem castorinæ speciei debitam deducuntur. Sed

§. 4. *Materiam Constitutionis*, quæ ab anima specifica debitè formata cum eâdem Compositum naturale constituit, eidemq; esse materiale largitur. Materia autem hæc *simplex non* est; neq; enim è simplici materia tantus, quantus in corpore mixto reperitur, partium variarum apparatus produci potest, sed *composita* seu mixta. Talem compositionem quædam remotè, quædam remotiùs inferunt. *Remotiùs* Elementa, quæ, ut mistorum omnium; ita &

Ca-

Castoris, constitutionem ingrediuntur. *Remotè* principia Chymica Sal, Sulphur & Mercurius, communiter ita dicta, quorum essentiam, affectiones & effectus præ cæteris nervosè tradit Excell. Dn. D. Wedelius observatione, quam *Collegio Nat. Curiosi*, communicavit, estq; 127. *Decur. 1. Ann. 6. & 7.*

§. 5. *Materia proxima* sunt partes corporis ipsæ, tam similares quàm organicæ, tam externæ quàm internæ ex principiis materialibus prædictis debitè singulæ secundùm substantiam, ordinem, figuram, situm, numerum & connexionem ab anima formatæ, & ab eadem, durante ejusdem cum materia unione informandæ, in totius salutem conspirantes.

§. 6. *Partium externarum delineatio*, in determinata Corporis quantitate à materia resultante radicata, *Figuram* sistit, quæ vel *essentialis* est vel *accidentalis*. *Illa* ut corpori omni viventi specificè spectato, ita & Castori, convenit, per quam ab aliis speciebus discernitur, ita ut quivis mox primo intuitu dicere queat, v. g. hoc canis est, non Castor, non leo, non æquus &c. quia Canis, non Castoris, non leonis, non equi figuram externam habet. *Taxi* figuram primâ quidem fronte Castor ratione corporaturæ æmulari videtur, sed propiori adspectu apparentia ista perit: item *Lutræ*, sed caudâ differt, quæ Lutræ est oblonga, teres, & in fastigium desinens: insuper vulpinis est cruribus Lutra, pedes habens posteriores planos. Hieron. Cardanus *de Subtilit. lib. 10.* ex eo, si confictum non est, Fibrum non piscibus, sed frondibus atq; virgultis ali, colligit, Fibrum à Lutra specie differe: sin falsum, unius generis esse pronunciat. Verùm sicut avium minorum multæ, quas tamen diversarum specierum esse nemo non affirmat, propterea, quia eodem alimento vescuntur, eandem speciei classem non subeunt; Sic nec Fibrum & Lutram ad eandem, similem ob causam, referre licet, præsertim cùm plura differentium proprietatum indicia in utroq; Zoographi notent.

§. 7. *Essentialis* Castoris seu Fibri *figura* ex sequentibus patet. Castor (describente ita Rondeletio p. m. 337.) *caput* habet compressum, *oculos* parvos, subnigros, (nasum simum) *aures* minutas, rotundas, *collum* breve crassum, *linguam* crassam opplentem. *Dentes molares* sedecim, in quolibet latere maxillarum tam superiorum quàm inferiorum quatuor, habet. *Incisores* in maxilla supe-

superiore breviores sunt, pallidiores, coloris sulphurei, in inferiore longiores & rubri, qui superiores subeunt, ita ut acumina se non tangant: sunt tamen & hi & isti lati & æqualiter acuti. Incisores, ait Illustris Dn. von Hohberg *Georg. curios. part. 2. cap. 3. pag. 549.* sunt longi propè tres digitos, lati tertiâ aut quartâ parte digiti, duo ex inferiori labro & duo ex superiore egrediuntur ac se incidunt, non abscisfioni, sed rosioni utiliores. *Oris formam* habet quadratam, propterea tam Castor, quàm Lutra ob hanc oris figuram à Græcis πτερογωνοπρόσωποι cognominantur. *Auriculas* habet parvas pilis obtectas, *os* setosum. *Colore* est ex albo cinereo, in dorso nigricante Lutræ simili, ex cinereo ad nigredinem declinante, ita ut quò pellis nigrior, eò pretiosior censeatur. *Pili* secundùm D. Francum l. c. instar gossypii apparent, frequentissimi, spississimi & mutuò secundum longitudinem quasi sese contingentes, & in suis initiis invicem conglobati, firmum habentes fundamentum, ita ut non nisi violentiâ avellantur; in dorso firmiores habentur & crassiores. *Cauda* piscium iis, ait Plinius *lib. 8. H. N.* Verùm Cauda non caudam piscium, sed piscem refert, parte superiore velati squamosa est, inferiore lævis & glabra, depressa, cineritii coloris, excavata quasi, bursamq; rugosam refert, tota pilis caret. Aldrovandus etiam Caudam Castoris piscium caudam non æmulari, sed tantum & colorem & odorem piscium referre ait. Bellonium adducit, Castoris caudam sic describentem: *Cauda in majori Castore sesquipedalis est, senos digitos lata, duos crassa, quatuor interdum librarum pondo, ad margines in tenuitatem desinens, membranâ glabrâ & leviâ contecta, super quam lineæ quadam squamas piscium mentientes incredibili artificio depictæ sunt.* Huic lata senos digitos, D. Franco quatuor dicitur, quæ variatio sine dubio ratione quantitatis & ætatis venit. Latitudinem iconis ab Autoribus traditatantum est, ut iidem exprimant, ut potius longo-rotundam sistant, cujus causa ea est, quia rei latæ desuper visæ & oculis subjectæ figura delineari quidem potest, non autem si è regione visui res eadem opponitur, sicut cultri, orbis, asseris desuper visi figuram latam, non autem ejus non inversi oculorum medio rectà oppositi, pictoris manus exprimere apta est. In extremo limbo cauda in quibusdam hirsuta est, ac brevissimis & asperiusculis pilis prædita secundùm D. Wepferum loco inferiùs citando. Idem in quodam minore

Castore caudam palmis duabus longiorem, latam uncias tres, crassitie parvi digiti nigram & squamosam deprehendit, non verè talem, sed cutim nigram, incisam, & quasi cancellatam, consistentiæ quasi cartilagineæ. Aliâ Caudæ figurâ eâq; singulari Regem Castorum gaudere, Cardianus l. c. tradit, eamq; depingi ibi curavit, quæ non, ut cœterorum, in fine obtusa, sed lata est, tres quasi semicirculos, quorum medius extantior, referens. Verùm Castores eâ societate, quæ Regem agnoscat, gaudere, de eo inter Zoographos & de tali ullius Castoris caudâ altum silentium. Fœminæ unicus est meatus & ad excernenda excrementa, & ad pariendum uteri & vesicæ cervicibus concurrentibus, ejusq; supinam figuram alteta in inscriptione videnda hujus Disputationis exprimit.

§. 8. *Pedes* quadrupedis hujus variant: anteriores enim caninis pronâ & supina facie similes & uncati sunt, quibus terram fodit, foveasq; excavat: posteriores figuram anserinorum referunt, propter membranam singulis digitis, quorum (ut & anteriorum) quinq; sunt, interjectam, quibus in natatione se promovent. *Tumores in inguinibus* prominent gemini, utrinq; unus, in utroq; sexu, tam in fœmina, quàm in mare, ovi anserini magnitudinem æquantes, magnitudine tamen inæquales, testiculos mentientes, qui membranâ communi exteriore crassâ fibrosâ & quasi musculosâ & interiore tenui investiuntur, inter quos tamen nullum, nisi vicinæ commercium existit, sed in maribus mentula ossea, in fœminis vulva reperitur. Tumores hos seu prominentias testiculos non esse inde evincitur, quia folliculorum istorum meatus non in penem, sed per meatum proprium in rimam exteriorem communem tendit. Adhæc Testiculis veris alium situm naturam assignasse sequentia docebunt. In cuti integra in pube relicta occurrunt duo ostia insignia, superiùs sub osse pubis est rima, cujus superior pars condit penem, inferiùs sub cauda podex datur. Prominentiæ autem istæ, notante D. Wepfero, non sunt corpus uniforme, sed pars superior, firmior & durior & quasi corpus ex multis glandulis durìs, quarum quædam nucem juglandem magnitudine æquant, conglomeratum & compositum: pars inferior vesica ovalis longitudine ovi anserini, sed compressior magis quàm exactè rotunda. In secto quodam Castore prodiit, ait, presso corpore glandulosò substantia veluti cerosa, gravem & acutum castorei fœtorem redolens,

lens, friabilis: pressâ verò vesicâ emanavit humor albicans, oleaginosus, viscidus & lentus, fœtidissimus, caseum putrem redolens: hujus humoris quilibet folliculus ad unias tres circiter continebat: cerosæ verò substantiæ vix unciam ambo corpora conglomerata suppeditebant. Cerosa illa subflava substantia siccata resinosam & pulverisandam sistit materiam, cujus usus videatur infra *part.* 2. *cap. ult.*. Idem deinceps per accuratiorem indagationem pennâ anserinâ in cavitatem Castorei immissa & hac inflata Castoreum vesicam esse aut bursam aliquam rugosam explicatam variosq; anfractus à membrana ejus exteriore nervea red. ctam, quæ pluribus ab eodem exposita locô mox citandô legas. Liquor in vesica seu alligata crumenula semper liquidus manet, qui convenientior videtur unguentis, oleis & balsamis. Th. Bartholinus Cent. 1. Epist. Med. 9. Anatomicus Gedanensis loco in fine §. seq. citando in mare deprehendit hæc corpora glandulosa interius notabiliter cava, quæ mammas esse credidit. *Sed deprehenduntur*, ait, *corpora glandulosa, capsulis illis subjecta, interius notabiliter cava, in quibus materia subflava caseum putridum redolens instar lactis coagulati reperitur. Corpora hæc circa extrema sua in rimam dictam papillâ quadam terminantur, à qua versus interiora processus styli non datur ab extra, stylus verò à cavitate intrusus per dictam papillam exitum facilem sortitur, unde mammas hæc corpora esse credidimus.* Ejusmodi prominentiis gaudent etiam *lepores, hyæna odorifera* aliaq; pauca animalia. Sicut & inter pisces sepia, loligo, purpura excrementa odorata continent in Vesiculis, notante Petro Castello *de Hyæna odorif. cap. 7. pag. 52.*

§. 9. *Differunt* ergò *folliculi* sive testiculi Castoris spurii à veris *testibus 1. ratione Substantiæ & conformationis*, cùm folliculi cavitate præditi plicis etiam ac rugis gaudeant, ac propterea in omnes dimensiones expandi queant; id quod de veris testibus, qui in viviparis animalibus nil nisi congeries sunt minutissimorum vasculorum, seu funiculorum convolutorum continuâ serie progredientium partibus insuper seminis generationi & emissioni inservientibus variis sunt instructi, asseri nequit. 2. *ratione situs:* illi enim externè in ingvine siti visui mox patent; hi verò vel spinæ sunt affixi, ut Rondeletius invenit, vel internæ ossis pubis regioni incumbunt, ut Wepferus deprehendit: an horum alter in consti-

tutionem præternaturalem incidit? an in quibusdam naturæ lusus? experientia porrò uberior consulenda. 3. *ratione magnitudinis*, quòd illi ovum ut plurimum anserinum, hi verò vix ovi columbini magnitudinem exprimant, imò exiccati vix acinum uvæ passæ rugosum exprimant. 4. *ratione consensus cum pudendis*, qui in folliculis nullus, siquidem in neutro sexu deprehenditur ductus, cujus beneficio semen inde ad penem vel uterum deferatur: in veris autem testibus ille viget. 5. *ratione odoris & saporis*, qui in folliculis evidens: testes autem insipidi deprehenduntur, nec ad Castorei graveolentiam accedunt. 6. *ratione contentorum*, quia folliculi pressi exhibent substantiam talem, qualem in præcedentibus descripsimus: testes autem veri ejusq; affines partes albam vel quasi serosam contineat.

§. 10. Hæc cùm Experientiæ Anatomicæ & avtopsiæ Experientissimorum Anatomicorum respondeant, mirari subit, quo calamo nostrâ ætate Vir aliàs experientissimus & acutissimus P. Athan. Kircherus *lib. 1. Arc. Noa sect. 3. cap. 5.* scribere non erubuerit, Castoreum nihil aliud esse, quàm testes Castoris? cum Moses Charras *Hist. anim. plantar. & mineral. Theriac. ingred.* eandem sententiam defendere laboret, gravissimè insuper in illos invehatur, & temeritatis manifestæ, qui testes esse negant, incuset? Mirati autem desinet quivis, si eos neglectò accuratiori per Anatomen scrutinio communem saltem veterum errorem apprehendisse, & eodem modò, ut plurimorum quadrupedum scrota testibus domicilium præbent, ita & folliculos ingvinales Castoris testium verorum receptacula esse sibi persvasisse, adverterit. Sicut & Charrasius *Pharmacop. Reg. Galen. Chym. lib. 1. cap. 20.* mehercle deinceps edoctus cogitationes priores posterioribus correxit, excusans se, quod forsan contra veritatem locutus fuerit, quia eo tempore Castores non tam copiosè ad manus habuerit.

§. 11. Nicol. Myrepsus *Antidot. sect. 1. §. 193.* trium Generum Castorei facit mentionem. Fuchsius in Annot. addit: Græcè est ἐκ τῶν γενῶν καςορίου, ut sit sensus, tria genera Castorei esse sumenda. Nam, eodem judice, nisi ita intelligas, simplicium numerus ad quinquaginta perveniet. Verum neuter genera ista expressit, nec ab aliis tam veteribus, quàm recentioribus expressa invenio. Unde

Ex-

Excell. Dn. D. Falchius, *Prof. Jenæ celeberrimus, Disp. de Castore cap. 4.* cum Gesnero existimat, hunc errorem ex contextu esse pronatum, ac distinctionem hanc potius Rheo, cujus mentio proximè præcedit, convenire, quia trium generum, Turcici, Indici & Barbarici mentionem facit Matthiol. *Comm. in Dioſc. lib. 3. cap. 2.*

§. 12. Unde autem Substantia hæcce graveolens in hosce folliculos deponatur? Vir prælaudatus Dn. D. Falchius *loc. cit. cap. 2.* quærit, & absolutâ præcedentis erroris refutatione solidâ, ad quæstionem hanc nervosè respondet, inquiens: probabiliter illa deponitur atq; secernitur à sangvine, præsertim cum præsupponimus (1.) totum Castoris sangvinem odorem talismodo graveolentem spirare, ceu experientia testatur. (2.) circa hos folliculos copiosas esse glandulas, quibus minutis densèq; conglomeratis, ceu sæpius laudati Wepferi observatio fidem facit, tota eorum interior superficies incrustata conspicitur. (3.) Glandulas optima sangvinis particularum esse separatoria ac quasi filtra. Hinc non absurdè planè colligere licebit, ex talismodi sangvine ad glandulosam harum tunicarum substantiam continuò appulsu facillimâ naturæ separationis encheirisi exinde talismodi materiam concentratam quasi secerni ac in folliculis colligi; imò si suspicationi hìc locus, castoreum constituunt partes sangvinis hujus animalis sulphureæ, balsamicæ, salinæ volatiles peculiariter separatæ, terreis tamen quibusdam partibus intermixtis. *Hæc ille.* Tantum de *externâ* Fibri figura, quæ adspectu primò ei, qui nunquam hoc animal vidit, horribilis: mihi sanè in Borussia primùm inopinatè oblatum hac sua figura terrorem quendam incussisse non diffiteor. Jam ad *internam.*

§. 13. *Partes Castoris internas* culter Anatomicus sectione artificiosè factâ sistit. Verùm cùm earũ omnium, ut in Castore reperiuntur, accurata descriptio quaterniones multos implere queat, nos non omnium & singularum, sed præcipuarum partium structurâm, & quidem notatu digniora adducemus atq; in compendium cogemus. *In Genere* Castor à Rondeletio in partibus internis porco magis quàm alteri animali persimilis prædicatur, scil. in lingva, corde, ventriculo, intestinis & hepate in quinq; lobos diviso. *In specie* seu specialem partium internarum descriptionem exhibituri ductum ex recentioribus *Experientiss. & Celeberrimi* Dn. Joh. Jacobi Wepferi *D. Med. Scaphusiani experientissimi* sequemur, qui

observationibus, quas ex aliquot Castorum sectionibus ipse suis manibus & oculis notavit, tres supra duos quaterniones paginas implevit, omniaq; præsertim tumores illos in ingvine duos, quos rudi pingviq; Minervâ Testiculos vulgò appellant, de quibus §. præced. actum, accuratè descripsit, & Collegio Nat. Cur. communicavit. Habentur *Decur. 1. Ann. 2. obs. 251.* Castoris descriptionem Anatomicam sistunt etiam Acta Eruditorum Lipsiæ publicata, & quidem Ann. 1684. mense August. pag. 360. ex Autore Anonymo literis saltim his initialibus E. G. H. citato, qui Castorem & matrem & fœmellam Gedani eodem anno Mense Aprili disecuit.

§. 14. *Cerebrum* equidem non tangit, nec peculiare quid habet. Castoris tamen Cerebrum in libra constitutum pondus unciæ unius, drachmarum trium & semidrachmæ habuit apud D. Schneidernum *lib. 2. de Catarrhis, pag. 181.* Cor ad magnitudinem canis majoris accessisse in quodam deprehendit D. Wepferus. *Pulmones* leves sunt & albicantes: *Diaphragma* robustum & admodum nerveum: *Ventriculus* structuram singularem & admirabilem habet. Amplissimus enim est, suillo aut canino similis, nisi quod sulcus adsit profundiusculus, quasi medium in duos ventriculos dividens; prope orificium ventriculo sinistrum in parte sinistra laterali portionem rubentem, carnosam, palmo longiorem, palmum latam, ovalem, quæ musculus est, Prosector invenit. Portio illa carnosa oscula quàm plurima eidem exhibuit maximam partem rotunda & lentem admittentia, quibus foris pressis mucus albus, perspicuus, lentus, castoreum redolens exstillavit. Istâ secundum longitudinem incisâ glandulæ minutæ; totâ autem ablatâ corpuscula convexa, oblonga, subrubra, minutissimis vasis sangviferis decorata & pulchro ordine sita in conspectum venerunt. Tales glandulas hominem, aliaq; præter aves animalia ventriculo implantatas habere, recentiores notarunt, in Castore autem primus observavit prælaudatus Dn. D. Wepferus, teste Peyero *in Anatome ventriculi Gallinac. pag. 119.* Conferantur Acta Eruditor. loc. cit.

§. 15. *Intestina tenuia* ulnas novem longitudine superant: *colon* in cellulas divisum valvulis semilunaribus instructum cum *recto* duas ulnas longum. *Cæcum*, ubi colo proximum, ulnâ longius, vastissimumq; ventriculum cibo plenum repræsentat excrementis ac flatibus abundans: ejus extremitas gracilis lon-

*longitudine* & figura parvi digiti excrementum crassum exstercum & tubnigrum fovet. *Anonymus* ille intestinum *cæcum* horrende molis in hoc animali sic describit: Intestinum *cæcum*, palmam latum, bis abdomen ab uno & plus quàm ulnam longum, *Colon* longissimum, non totam epigastrio ad alterum emetitur. abdominis regionem à tergo circuli instar cingit, sed ita modò abdominis latere varias flexuras admittit, hinc per transversum dextro primum latere versus scandit, ubi iterum absolutis serpentinis gyris eandem in rectum terminatur. Cellularum valde est abdominis ad sinistrum latus & ligamenta nervea fortissima habet tam ad rectum quàm cæcum tendentia. *Hæc ille*. *Recti* intestini tunica exterior fibris rectis validissimis prædita, interior rugosa est & plicatilis. *Epar* pro animalis proportione magnum in sex lobos est divisum, ex quibus *Gingalis* ductus bilarii emergentes ductui colodocho majori insertantur. *Lien* gracilis, sed longus. *Gedanensis* Medicus spithamam longum, vix digitum latitudine & crassitie æquantem invenit. *Renes* plani & compressi, minus quàm in aliis animalibus convexi, in ambitu acuminati. *Testiculi* veri non spinæ sunt, affixi, sed anterius ossis pubis regioni internæ incumbunt parvis processibus, peritonæi incluso, vix ovi columbini magnitudine, albi, læves, figura ovali, sed compressa, nullo cerolo nec oleaginoso humore impregnati, nec fœtorem castorei acrem redolentes, seu recentes seu arefacti explorentur. Inter hos & castoreum nulla, nec mediata, nec immediata, intercedit communio. Testiculi hi vasa sua ad mentulam semen ferentia ritissimè habent, nec citra vitam animalis adimi possunt. *Costas* 12. veras, 3. spurias ab uno latere habet. *Pesticæ* suillæ similis. Plura eaq; accuratiora harum & reliquarum partium, ut nervorum, arteriarum, venarum, glandularum, musculorum &c. Castori ut quadrupedi, adeoq; perfectiori animali competentium structuram concernentia, cùm instituui præsentis non sit, Anatomicorum curiosiori, quibus frequens Castoris secandi occasio subministratur, relinquimus.

§. 16. Altera Castoris Pars essentialis *Forma* est sive Anima. *Non* ergò hic attenditur 1. *externa illa*, quæ oculos incurrit & Figuræ essentialis nomine à nobis §. 6. venit, quippe quæ ipsa ab internis principiis, ab anima quidem ratione specificationis, à materia autem ratione terminationis oritur: 2. *Non anima sensitiva*, quæ tan-

tantum conceptum quendam generalem & communem dicit, sub quo continentur varii gradus diversarum formarum specificarum, ceste Combachiò *lib. 4. Phys. c. 3. comm. 1. Non 3. forma accidentalis* in accidentium essentialium, ut loquuntur, comprehensione consistens, qualem omnibus rebus, exceptâ animâ rationali, Cartesius & ejus asseclæ, tribuunt, cùm virtutum & operationum in brutis varietas à materia utcunq; accidentibus instructâ, venire nequeat. *Non 4. generalis aliqua anima*, quam animam Mundi vocant: præterquam enim, quòd admissâ quoq; hac ipsa, inter entia haud magis censeri possit propria Castoris forma, atq; quorumcunq; aliorum corporum naturalium, quæ ab ea animata vulgò dicuntur: Sed *specifica*, quam Castorinam dicere liceat, quæ, ut in genere bruti omnis, ita & Castoris, quantò materia nobilior, tantò nobis obscurior, cùm tamen specificum esse, distingvi & operari à forma rei cujusvis specifica pendeat.

§. 17. Concedenda tamen est forma, quæ sit principium ἐνεργητικὸν sive causa omnium affectionum & operationum in Castore deprehensarum. Quæ autem & qualis ea sit, solus novit, qui omnia novit, Creator brutorum rerumq; aliarum omnium sapientissimus, hominum autem nullus in hac vita explicare potest. Manent absconditæ essentiales rerum formæ, ita ut nullam rei naturalis formam, formâ hominis parum exceptâ, exactè assequi queamus. Hinc illa Scaligeri querela: *Dic mihi formam lapidis & Phyllida solus habeto.* Item: *Nostra scientia est umbra in Sole. Formarum cognitio est rudis, confusa, nec nisi per ἀναλογίας. Neq; verum est, formæ substantialis speciem recipi in intellectum. Non enim in sensu unquam fuit.*

§. 18. Certum tamen est, Animam Castoris specificam, qualis etiam ea sit, & cujuscunq; conditionis, secundùm Philosophorum placita, dare esse, distingvi & operari. *Esse* scil. *specificum*, ita ut cum altera essentiæ parte, materia nempe, Castor in hac sua specie constituatur, quia materia speciem non largitur, nisi quatenus agenti effectivè speciem danti subest: *distinctionem specificam*, quia per eam à reliquis animalis speciebus distingvitur; nam quale esse dat forma, tale etiam distingvi dat: *specificas* deniq; *operationes* & proprias, quæ soli Castori, nulli præterea quadrupedi, competunt.

§. 15.

§. 19. An ergò Bruti, adeoq; & *Castoris*, *forma* sive anima *Sanguis* sit, ut Critias & Empedocles olim de Brutorum anima statuerunt, an *lux seu lumen* ex Patritii, Harvei, Helmontii, Wirdigii, Bartholini, Kirchmajeri sententia sit dicenda; an, quod sentit ingeniosissimus Anglus Mayovv sit *aura aliqua divinior*, toti mundo coextensa, & à prima creatione sensu donata, cujus portiuncula in subjecto rite dispositio contenta functiones tales edit, quales in animalium corporibus fieri cernimus; an ad mentem Honorati Fabri, Th. Willisii (& recens Cl. Dn. Sturmii Prof. in Altdorfina celebert. *in conaminibus Physica conciliatrice*) Bruti adeoq; Castoris anima sit *corporea*, ejusq; substantia ipsemet *ignis*, secundum priores sit appellanda, litem hanc hoc loco nostram non facimus, totum hoc ad generalem de Brutis & Anima doctrinam amandantes.

§. 20. Laudanda tamen est recentiorum in Animæ sensitivæ naturam, quantum in hac mentis imbecillitate cuiq; licet, salva cujusq; simili veritatis studio animati autoritate, inquirendi cutiositas, & inter eos Doctiss. Dn. D. Emanuelis König, cui *Regni Animal. sect. 1. artic. 3.* Anima sensitiva & Vegetativa videtur ex parte modalis, ex parte corporea, spiritualis, materialis, vid. præter concinnam organorum texturam eorumq; modos nil aliud, quàm corpuscula, tenuissima, subtilissima, nobilissima, lævigatissima, rotundissima, penetrantissima, summè volatilia, balsamica, nitro-aerea, partes animalium inprimis nervosas pernicissimo motu pervadentia. universum eorum corpus instar radiorum lucis vel phosphori irradiantia, actuantia, idq; ad usus multiplices tam individuo, quàm speciei necessarios aptum reddentia.

§. 21. Anima in Castore *una* est, siquidem secundum receptum Philosophorum axioma, Unius rei una tantum est forma, scil. *specifica*. *Genericas* ergò, puta subordinatas Elementorum, partiales partium integrantium & genericam in specie dictam, animam nempe sensitivam, (de accidentariis, quæ non semper adsunt, nihil dicimus.) Castori salvâ unitatis specificæ ratione inesse posse, nihil impedit. Vid. *Exercit. nostr. Physic. 6. pag. 81.*

# CAPUT III.

## Causas Castoris externas, Efficientem & Finem sistit.

§. 1. Ad causas externas, *Efficientem* & *Finem Castoris* jam tendimus. Cùm solus DEUS ens sit independens & infinitum, suæq; essentiæ perfectionem illimitatam habeat à seipso, non dependenter ab alio, cœtera omnia autem, quæ non sunt DEUS, limitatam suæ essentiæ perfectionem ab alio dependenter habeant, etiam *Castorem* eodem nomine venire intelligitur. *Dependentia* hæc *causalis* est, & hæc vel *effectiva*, quæ in genere spectata est ab efficiente, vel per creationem, vel generationem, vel effectionem mechanicam; vel *finalis*, quæ est à fine, vel *formalis* à forma vel *materialis* à materia, De hac & ista cap. præced. actum, jam de effectiva.

§. 2. Talis autem *Castoris* consideratur in Natura vel constituendâ vel constitutâ. In *Natura constituenda* nondum agens naturale, Castorem naturali virtute producens, fuit, sed DEUS gloriosus, specierum omnium in prima creatione fabricator, primi Castoris fuit causa efficiens, à quo per veram & realiter in se influentem actionem essentiam suam dependenter accepit, indeq; DEUS primum Castorinæ speciei individuum creans particularis causa fuit. Istud autem satis veracissimus sacrarum literarum conditor Moses Genes. 1. & 2. cap. testatur, ita ut non tantum è Genesi Dn. D. August. Pfeiffer omnes fidei articulos, refutationes hæreticorum, omnes facultates, disciplinas, artes &c. sed & in specie Theriologiæ originem, specialem Physicæ partem breviter deducat *Pansoph. Mosaic. cap. 10. §. 9.* Proinde dicam scribimus iis, qui statuunt, DEUM in principio ita præparasse aquas & terram, ut naturaliter animantium & plantarum fuerit secuta generatio, quam sententiam enervatam dedimus *Disputat. nostr. Ichthyologic. 3. cap. 4. §. 3.*

§. 3. *In Natura constituta Castoris causa efficiens* est vel universalis vel particularis. *Universalis* vel prima vel secunda. *Prima* DEUS est, qui jam alia, & quidem universali, non particulari, influit ratione, Influxus hic consistit in conservando & cooperando.

Co-

Cœlestis Pater adhuc operatur, & Christus cooperatur. *Joh. 15. v. 17.* Elegantia sunt verba D. Balduini quæ *lib. 2. de cas. conse. cap. 4.* fecit ita: *DEUS verò adhuc operatur, cum species illas in individuis conservat & gubernat. Qua individuorum productio, licet ex causis naturalibus fiat, ad DEUM tamen ut Creatorem omnium meritò refertur, quia is conservat & sustentat naturam, eiq; vires operandi largitur, quæ abq; DEO omnium motore facilè deficerent.* Iste DEI concursus consistit in ipsa particularis agentis actione, quatenus ea fluit à prima & tendit ad eundem terminum, ad quem eadem actio tendit, quatenus fluit à causa particulari.

§. 4. *Secunda* sunt Astra, præcipuè Sol, qui suum ad productionem Castoris Symbolum confert, quatenus vivificis suis radiis insitam Castori vim generativam fovet, suscitat & stimulat. *Particularis* causa est agens Univocum, Castor generans, qui quà talis cum causa socia, fœmella, insitâ virtute mediante semine fœcundò sibi secundùm speciem simile producit individuum; quod quidem in *generatione prima* fit, in *secunda* anima geniti jam præsens materiam seminalem in sui generis corpus organicum mutat. Utraq; autem in perfectioribus matricem requirit, quæ semen concipit, retinet & ad perfectionem usq; fovet.

§. 5. *Finem* suum Castor quoq; habet. DEUS enim & Natura nihil faciunt frustra. Arist. *lib. 2. Phys. text. 59.* *Finis* ille, cujus gratia est Castor, vel universalis est, vel particularis. *Universalis* respectu vel Creatoris vel creaturæ. Respectu *Creatoris* est ejus gloria, cujus gratia ut res omnes naturales, ita & Castor est & conservatur. Dicitur & ultimus finis: id quod inde patet, quia unum quodq; id agnoscit pro fine, propter quod est. Sed propter DEUM omnia sunt. *Omne quod est, propter aliud est, quam propter se, excepto uno solo DEO. Igitur omnia propter illud unum sunt, quod non est propter aliud. Ergò erunt omnia propter DEUM, quia DEUS non est propter aliud præter se.* Scaliger *exerc. 250. §. 1.* Finis respectu *creaturæ* duplex iterum est, respectu vel creaturæ *universim spectatæ* ac totius universitatis, vel respectu *particularis cujusdam* in ea subjecti. *Ille* est totum hoc universum integrare ejusq; perfectionem adornare. Species enim Castor est. Species autem quævis ad universi facit constantiam & complementum. *Si deesset aliquid, daretur in formis vacuum*, ait Scaliger *loc. cit.* *Hic* verò

Homo est, cujus usui, ut tota natura, ita & Castor inservit. *Dico*, inquit idem Scaliger, *rerum omnium species propter hominem conditas esse.* Varium autem usum, quem Castor Homini confert, ultimò & peculiari locò post affectionum considerationem adducemus.

# PARS II.

## *Affectiones Castoris exhibet, & quid.*

## *CAPUT I.*

### Internas Castoris tradit.

§. I. Causarum considerationem *Affectionum* tractatio excipiat tam internarum quàm externarum. Inter *internas* venit

### I. Quantitas,

quæ *ut talis* materiæ, qua etiam Castor gaudet, genuina soboles est, *ut limitata* à specifica Castoris forma est. Quævis species sibi convenientem, in latitudine tamen, quæ in nonnullis major, minor è contra in aliis est, quantitatem habet. At suæ quantitatis Castorina species est tenax: Non enim in ejus individuis pygmæos vel Gigantes, ut ita loqui licear, sicut in canum, boum, ovium genere, reperias (quæ ratione ætatis in magnitudine diversitas occurrit, hic non attenditur) sed Castor adultus magnitudine *Felis* est. Hieron. Cardanus *de subtilit. lib. 10. p. 411.* Fibrum animal esse *canis* magnitudine, sed oblongum, dum scribit, incertum & dubium dimittit Lectorem, cùm canes dentur diversæ magnitudinis, eàque insignites inter se differentes. In Epiro molossi habentur proceri, qui metum intuentibus incutiunt: è contra caniculos in patria sua vidit Casp. Bartholinus ad summum staturæ provectas, tantæ parvitatis, ut pugno suo ferè includere potuerit, rabiosulas interea & mordaculas. *Opuscul. de Pygmæis cap. 5.* Sed & qui mediocris sunt magnitudinis canes, à se invicem non mediocriter discerni obvium est. Mole vastus Castor primus D. Wepferi pondere triginta libras superavit; D. Schenkii *in Epist. ad Sachsii Gammarol. pag. 932.* Castor à venatore captus librarum fuit quadraginta.

II. Qua-

## II. Qualitas.

§. 2. Castori *Qualitas*, sicut omni corpori Naturali, competit. Nam sicut Materia Quantitatis, ita Forma Qualitatis est Mater genuina: non tamen Castoris animam specificam omnium in isto notandarum qualitatum constituimus principium, sed & subordinatas ac reliquas in censum, pro conditione rerum & quæsitorum, vocamus. Neq; enim gravitas à Castoris forma specifica, sed subordinatâ terræ est.

§. 3. Nolumus Qualitatis divisiones varias alibi recitatas hoc loco, cum generali habitu, non ubiq; gratô, veniant, repetere, sed ex iis primarias (nam non omnes alicujus sunt momenti) Castori applicandas seligemus.

§. 4. Qualitates tactiles primæ Temperamentum sistunt. *Temperamentum* Castori ad actiones suas debitè obeundas calidum & humidum absolutè loquendo convenire dicimus, idq; totale, ex partialibus diversis, maximè principalium partium dependens. Temperamenta enim partialia & diversa diversis partibus competere posse nec sensui nec rationi repugnat. *Absolutè* loquendo diximus, quia sangvis, quo Castor quoq; gaudet, calorem & humidum vivificum fovet: *comparatè* tamen ad alia quadrupeda & pisces nonnullos, quorum temperies est calidior, collatus, frigidioris seu minus calidi est temperamenti, quia in aquis vivit. Ut enim animalia, quæ in calidis siccisq; degunt regionibus, calidiora siccioraq; iis sunt, quæ in frigidis humidisq; traducunt vitam, ita & Pisces, & cum his Castor, qui in aquis vivit, similem aquæ temperiem contrahit: quia verò præterea terris quoq; vivit, minus frigidum quàm Pisces obtinet temperiem. Jonstonus partes Castoris anteriores scribit de calore participare; posteriores, teste Matthiolo, tanta scatere frigiditate, ut ad instar testudinum terrestrium jejunii tempore admittantur. Quamvis neq; in Matthioli Comm. in Dioscorid. neq; in Epist. ejusdem id invenerim, facilè tamen concesserò, cum Castoris conservatio præter alimentationem etiam à caudæ in aqua madefactione continua dependere videatur. Ista tamen partium inferiorum frigiditas cordis influentiâ continuâ blandè iterum temperatur, quatenus ab igne vitali sangvini & sero cum motu & calore vitalitatis character imprimitur & conservatur.

§. 5. Visibilis Qualitas *Castoris* Color est, quem *Part. 1. cap. 1. & cap. 2. §. 6.* expressimus, scil. ex albo cinereus, in dorso nigricans, hinc sunt, qui Castorem cum Alberto Taxo in colore comparant, quamvis in Castore pilus sit subtilior, & ex cinereo ad nigredinem declinans. Quò pellis verò nigrior, eò pretiosior perhibetur.

§. 6. Audibilis Qualitas Castoris Vox est, quam, referente Aldrovandô, Julius Pomponius Sabinus, cùm per onomatopœiam exprimere non posset, scriptis mandavit, quòd vocem edens Castor vagitum infantis apprimè repræsentet. Idem tantum eis, qui domi aluntur, pudorem inesse scribit, ùt domum neq; stercore, neq; urinâ inquinare velint, & cùm egredi non possunt, tamdiu conqueri & clamare, donec illis exeundi potestas fiat. At Dn. D. Francus *l. c. p. 21.* nullam vocem à Castoribus, etiam imminente mortis periculo, percipi scribit. Nos convertentes partes ad Experientiæ tribunal remittimus, comitatum eis datâ occasione nostrum non denegaturi.

§. 7. Transeant Gustabiles & Odorabiles Qualitates, quarum illa Gustum, hæc Odoratum afficit, cum parum momenti eæ ad præsens institutum conferant.

§. 8. Majus *Propriæ* Castoris Qualitates obtinent; sed, si vel maximè velimus, exprimere easdem nequimus. Cùm enim principium ipsum, à quo per naturalem resultantiam promanant, lateat, non possunt non & ipsæ latere. Itaq; ad alias, quæ *Communes* vulgò dicuntur, *Nutricem*, *Auctricem* & *Generatricem* transitum facimus, prætereuntes iterum, quæ habitu generationi prolixiori remotam nobis possunt injicere.

§. 9. Nutrimentum Castoris virgulta, frondes, cortices, ramos, folia & fructus arborum circa aquas crescentium, esse Zoographi communiter docent, & quidem in specie salicum, præcipuè latifoliarum: ad quod Plautus allusit scribens: *Sic me subes quasi Fiber Salicem*; item Alni, Populi, Orni. Cibum Ori admovent pedibus anterioribus Sciurorum vel Simiarum more.

§. 10. *Piscibus* Castores vesci Albertus M. & cum eo plures statuerunt autoritate Dioscoridis *lib. 2. cap. 22.* moti, ubi ait: *Ζῶον ἀμφίβιον ἐστὶ τὸ κάστορον ἐν ὕδασι οὖν ἰχθύσι καὶ καρκίνοις*

τρε-

τρεφόμενον, h. e. *Fiber ancipitis vitæ animal plerumq; cum piscibus & cancris victum in aqua capessit.* Pictores quoq; os Castoris pisce jam devorando donatum quandoque delineant, talemq; figuram Herbarium Loniceri sistit, eamq; sententiam sequitur Gabriel Tzschimmer in der Erläuterung der Durchlauchtigsten Zusammenkunfft pag. 240.

§. 11. Verùm alii contrarium experientiâ & ἀυτοψίᾳ moti tuentur. Siquidem Guilielmus Pelicerius Monspeliensis Episcopus, referente Rondeletiò, Fibris, quos aluit, frequenter pisces & vivos & mortuos objecit, à quibus tamen omninò abstinuerunt, ac ne degustarunt quidem. Simile recitat Dn. D. Wepferus loc. cit. refertq; Illustrissimum Dn. Comitem Franciscum Carolum de Fürstenberg duos ex nido nuper Castores sublatos enutriendos curasse, qui fame mori maluerunt, quàm vel piscibus vel carnibus vesci: cùm contra Lutra apud eundem cicur facta, quam manibus sæpè tractavit, & cum canibus ludentem vidit, non nisi carnibus & piscibus delectata, & objectos bolos sibi à canibus majoribus eripi non fuerit passa. Idem in Castorum duorum, quos secuit, descriptione refert, primi ventriculum totum, quantus fuit, segmentis ex corticibus & radicibus arborum, quibus pauca frustula corticum pomorum & pyrorum fuerant permixta, adimpletum occurrisse, piscium verò vel cancrorum ne minimum quidem vestigium apparuisse, nec contenta pisculenti quippiam redoluisse, qualis fœtor in lutra sectione non semel nares ferit. Ventriculo alterius in summitate à Stomacho ad pylorum pariter inciso inveni, ait, ipsum meris corticum & lignorum segmentis infarctum, nec vestigium nec fœtorem vel piscium vel cancrorum animadvertere potuimus, quamvis juxta flumen piscosum admodum victitarit. Subdit & hæc: *Asseverabat tunc venator, se in nullo Fibrarum, quamvis plurimos tendiculâ ceperit, quicquam pisculenti unquam in illorum ventriculo invenisse.*

§. 12. Hæc jam allata nos movent, ut celebrimi Sebizii utriq; sententiæ faventis, litem hanc loc. cit. componere satagentis, castra, inviti licet, deseramus. Mirum eidem primò videtur, animal perpetuò propè aquas degens victum inibi non quærere, cùm tamen aves aquaticæ inde nutriantur. Deinde dicendum

putat, quemadmodum Fibri animalia sunt ἀμφίβια, in terra pariter & aquis degentia, ita & utrobiq; ali: in aquis cancris & piscibus, in terra corticibus, foliis & fructibus arborum & his quidem frequentiùs, quoniam magis in cavernis suis habitant, quàm in aquis. *Haud enim*, pergit, *absurdum est, si dicatur, eos non μονοφάγους, ἢ ἰδιοτρόφους*, sed *πολλαφάγους esse, non uno alimentigenere, sed variò delectari. Nam & in piscium genere existunt multi, qui variis sustentantur ciborum speciebus, nempe gramine, algâ, insectis aquaticis, piscibus aliis, cæmodimoq; & Lutris, quæ ad Castorum familiam quam proximè accedunt, partim herbis & graminibus, partim corticibus, foliis & fructibus arborum, partim piscibus pasci Zoographi tradunt.*

§. 13. Medium quoq; tenet & tuetur D. Francus, qui distingvit & admittit dari, Castores juxta aquas perpetuò degentes, ibi quæritare alimentum, & piscibus, cancris ranisq; vesci; dari quoq; Castores objectum talismodi victum recusare: non dubitat tamen asserere, eos non solum corticibus arborum, sed & quandoq; piscium genere delectari, quemadmodum & Lutra, quæ proximè horum genus accedit, quamvis pisces avida devoret, folia tamen fructusq; hujus illiusve arboris non ingustabiles relinquit, experientia, ad quam provocat, teste. Verùm an hæc veritatis lucem sustineant, exempla Castorum variorum tum famelicorum, quibus propinandi pisces (quanquam magna fames absurdissimorum etiam esum homini suadeat, quidni amphibio tandem bruto fame emaciato?) tum exenteratorum, fidem iis, quibus Castores frequens secandi occasio datur, facere possunt.

§. 14. Primæ controvertentium parti, Dioscoridis autoritate suam sententiam roboranti reponit Rondeletius hoc, quòd in illo Dioscoridis loco dicatur, Castorem cum piscibus & cancris in aqua vivere, non piscibus vesci. Rursus Gesnerus *lib. de Quadruped. pag. 337.* Veterem interpretationem etiam habere dicit, Fibrum vivere ex piscibus & cancris: item Marcelli, Virgilii: proinde mavult absq; σὺν legere ἐν ὕδατιν, ἰχθύσιν &c. existimatq; facili errore adjectum esse, cùm idem sonus sit ultimæ syllabæ præcedentis vocabuli ὕδατιν. Verùm, quod denuò inculcamus, Experientia ipsa judicis officiò hac in controversia optimè fungitur,

&

& definitivam hìc quoq; loci sententiam facilè promulgáret, si Castores tam frequentes, ut Anates, Anseres, nobis essent. Rerum enim naturalium veritas non in ratione & opinione nostra, nec in libris, sed in Natura ipsa, quæ sola controversiarum physicarum norma audit, quærenda est.

§. 15. Amarus iste & siccus Castorum cibus ex arborum corticibus & foliis potissimum sumptus, in *Ventriculo* subigitur, coquitur, & succus ex eo chylosus in nutrimentum totius futurum cedens elaboratur; cui elaborationi peculiaris Ventriculi in Castore constitutio inservit. Hunc enim mucô per foraminula multa transmisso & peculiari fermento debitè instructo abundare supra ostendimus. Nimirum, quia Castoris alimentum ex succum & coctu difficillimum est, sapientissimus & summè admirandus in suis operibus rerum Conditor T. O. M. iis pulcherrima ista & affabrè factâ structurâ benignissimè prospexit, ut nunquam deesset fermentum, quod ad solvendum & comminuendum alimentum durum & asperum par foret, ut benè disserit Dn. D. Wepferus. Succus iste deinceps in corde & vasis ad illud tum desinentibus, tum ab eo incipientibus ac velut appensis convertitur in sangvinem, qui in reliquis huic negotio inservientibus organis depuratus suo porrò officio, ad quod destinatur, fungitur, nimirum, ut omnes & singulas partes nutriat, sive sangvis ipse, sive ejusdem serum, quod recentiorum quorundam placitum est, istud expediat,

§. 16. Functionem autem ejus in singulis corporis partibus specialem, earumq; cum variis conspirationem exponere, ampliorem disserendi locum, qui hìc negatur, requirit. Sufficiat autem ex hoc tribus saltem verbis indicasse, Auctionem Castoris sive Corporis ad certam molem secundùm omnes dimensiones fieri eodem alimentô quod nutrit, donec progressu temporis ossa ad justam magnitudinem & similitudinem, fibræq; partium solidarum duræ fiunt & constrictæ. Non enim Accretio à Nutritione differt, nisi sola ratione, quod pluribus ostendit Ant. Deusingius *Exercit. de Nutrit. Animal. sect. 1. §. 21.*

§. 17. Genetricis Facultatis negotium nobis aggressuris quæstio occurrit: *An Castores Hermaphroditorum ordini sint adscribendi?*

*bendi?* In hanc sententiam quosdam præcipitarunt illi in ingvinibus Castoris utriusq; sexûs siti folliculi membranosi, testiculos mentientes, atq; ita etiam abusivè dicti: qua ratione Lepores quoq; inter Hermaphroditos referre nonulli non dubitarunt, seducti pariter tumoribus in ingvine leporum omnium occurrentibus, qui glandulam, è quo liquor quoq; exudat, prominentem referunt, quorum errorem confutat D. Sebizius *de Alim. Facult. lib. 3. pag. 688.* Accedit alia erroris causa, quòd folliculi isti, sive capsulæ in Castore post partum nonnunquam insigniter amplæ & cavæ instar pugni reperiantur, & vesiculas capsulis illis subjacentes mammas æmulari videantur. Venator quoq; Gedanensi illi Medico, cujus supra facta est mentio, in plus quam XV. Castoribus à se dissectis & Penem & Testiculos, & Capsulas Castorei retentrices & corpora glandulosa his capsulis subjecta, se reperisse indicavit. Verùm undecunq; etiam Capsularum illarum post partum amplitudo & cavitas oriatur, id quod curiosis ad rationis dictamen singula revocantibus ulterius relinquitur, Venatoris illius effato nemo facilè assurget, cum Venatores laboris curiosi impatientes oculis & manibus superficialibus aperta bruta plerumq; evolvere constet. Neq; capsulæ illæ talem Uteri conformationem obtinent, ut genuinum generationis agrum subministrare queant. Verum autem uterum non in istis, sed intra abdomen seorsim Anonymus idem reperit, idq; ei prodidit præsentia Uteri cum duobus cornubus, uti in canibus ovario adjacente, situmq; idem obtinuit naturalem inter vesicam & intestinum, neq; penis adfuit. Castor igitur diversa ab aliis quadrupedibus fata quoad genitalium conformationem non habet, eidemq; pro ratione sexûs testes glandulosi, epididymides, Penis, Uterus &c. competunt.

§. 18. Veneris seu libidinis stimulis ineunte æstate Castores tentantur, ac fœmellæ post unicam admissionem à maribus se illatebrant, & præterlapsis duobus mensibus ex cavernis iterum egrediuntur. Ingruente hyeme circa Festum Nicolai catulos modò unum, modò duos tresve eam eniti scribit D. Francus: Gedanensis autem Anatomicus animal hoc binos tantum fœtus unâ vice gerere ait, id quod ulteriori experientiæ relinquitur. De congressûs & partûs tempore Natalis Comitum hos versiculos reliquit:

*cum primùm pallescunt frigore frondes*
*Cernuntur Catuli. cum clari tolliturr undis*
*Delphini signum, Venerii capiuntur amore.*

§. 19. Facultates sensitivas Castori quoq; communes, satis vegetas, nim. *cognoscentem* quoad sensus tum externos tum internos; item *appetentem* & *loco motivam* inesse, ex iis, quæ de Castore pluribus jam enarrabimus, inprimis quæ instinctu naturali patrant, elucer. Genetalia autem iterum mittimus, ne crebra eorum interpolatio & moram & nauseam creet.

§. 20. *Sensu communi* Castor cùm gaudeat, Phantasiâ quoq; idem erit præditus, quæ nim. species à sensu communi ad se delatas diutiùs retinet, altiùs examinat, novasq; inde elicit. Non tantum autem secundùm species à sensu communi oblatas, sed & juxta imagines à solerti naturâ ingenitas, à nullo edoctus Castor operatur; sicuti hirundines figulinam, apes architecturam, araneolæ textoriam nemine docente exercent. Sic domicilia sua Castores mirâ arte, naturâ magistrâ docente, ex arboribus, quas dentibus quasi ferreâ novaculâ, dejiciunt, mediocris magnitudinis, interdum femoris humani crassamentô, ædificant. Gregatim etenim ad cædenda ligna incedunt, dentibusq; ligna præscindunt, & præscisa ad sua latibula mirô modô comportant. Nam unum ex suo grege laboribus inutilem, desidem aut ignavum, vel seniô confectum, sed maximè alienæ societatis & gregis profugum, pro vehiculo pedibus elevatis supinum, in terram dorsotenus sternunt, inter coxas & crura ligna ordinant & componunt, & eum trahentes ad suas mansiunculas, à lignis exonerant, iterumq; exeunt & redeunt, donec institutæ domunculæ fuerint elaboratæ, situ scil. bicamerali vel tricamerali, ut corpus ab aquis emineat, atq; cauda in eis quiescat. Hæc Olaus Magnus *Histor. de Gentib. Septentrion. lib. 18. p. m. 433.* Nisi Olaus M. asseverantiùs id dixisset, & nisi exemplum murium alpinorum haberemus, qui hoc modô fœnum in suos cuniculos convehunt, fabulosa videri fatetur & ipse Aldrovandus. Tractatos ita Castores pilorum in dorso raritas, ejusq; attritio ex supino corporis ad vecturam commodati positu contracta, Venatoribus statim produnt.

§. 21. Quando Castores ad cædenda ligna se conferunt, semper eâdem semitâ à fluvio ad arborem gradiuntur, arboremq;,

quam elegerunt secandam pro ædificio, & decorticandam pro esca, non prius relinquunt, quàm totam dentibus disecuerint, & propè casuram tantô ingeniô sunt referti, ut singulis ictibus suspiciant, ne improvidi opprimantur. Ædificantes propter partes posteriores assidua humectatione indigentes aliquam aquæ portionem sepiunt, ne adventante diuturnâ æstatis siccitate fovea aquâ carear. Hinc ex ædificio, quod dimidiâ parte in aqua est, & dimidiâ superat, si altiùs est positum, futuræ inundationis prognosticon agricolæ colligunt, propterea q; in montibus serunt: si humilius, in vallibus. Pridie quoq;, quàm fluminis aqua augeatur, domicilium suum Castor mutat.

§. 22. Atq; hæc innata cognitio *instinctu* nomine solet designari. Instinctus hic principium est & quasi fons omnium motionum: non movetur autem animal nisi per appetitum: hic prælucentem sibi imaginationem subsequitur, in qua plurimas esse à natura impressas imagines hinc colligi possit, quòd multa molientur animantes & quodammodo dijudicent, quæ species per sensus immissæ nunciare non potuerunt. Quid enim pullo nosse milvum prodesset, nisi eum sibi infestum judicaret? Quo verò docente id comperit? Nec necesse est hic mirabiles bestiarum industrias persequi, quanto se opere custodiant, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. Multa ejusmodi afferri possunt, ex quibus conficitur, providam & solertem naturam ipsis bestiis aliquas imagines inseruisse, ex quibus effectus quidam mirabiles manant, qui ad instinctum referri solent. Ita bene disserit Joh. Baptista du Hamel *Oper. Philos. Tom. 2. tract. 5. lib. 2. cap. 6. §. 9.*

§. 21. An autem Castor instinctu naturali visis venatoribus, ut vitæ suæ consulat, sibi testes, seu potius folliculos suos binos in inguine latentes, testium q; formam mentientes amputet, aut, ut Cicero *Orat. pro Scauro* loquitur, redimat se ea parte corporis, propter quam maximè expetitur, & ne amplius à Venatoribus urgeatur, testiculos à se evulsos in prædam objiciat? hoc loco venit inquirendum. Ita quidem statuerunt Veteres. Plinius *H.N. lib. 8. cap. 30.* Ælianus *lib. 6. Hist. Animal. cap. 33.* Solinus *Polyhist. cap. 23.* Apulejus *lib. 1. Metam.* Isidorus *lib. 12. Orig. cap. 2.* Juvenalis *sat. 12.* in quendam, qui sibimetipsi castrando violentas iniecerat manus, sic cecinit:



*imi-*

*imitatur Castora, qui se*
*Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damnum*
*Testiculorum, adeò medicatum intelligit inguen.*

Autor *libri de Nuce* Ovidio adscripti ita canit:

*Atq; utinam subitò raperent mea poma procellæ,*
*Vel possem fructus excutere ipsa meos.*
*Sic ubi detracta est à te tibi causa periculi,*
*Quod superest tutum Pontice Castor habes.*

Hæc opinio multis Poëmatum, Emblematum, Hieroglyphicorum & Simulachrorum conditoribus, apud quos æquè, ut apud vulgum, invaluit, materiam, ut ingeniosis verbis & operibus hanc sibi impressam opinionem exprimerent, subministravit.

§. 24. Atq; hæc de Castratione Castoris dicta similibus videntur roborari posse exemplis, & quidem animalium moschiferorum, quorum *primum*, quod à Regni Chinensis traditur Scriptoribus, naturali instinctu, cùm pretium testiculorum suorum intelligat, de fuga alias desperans, eosdem dentibus, ac morsu avellit, & in lytron veluti libertatis abjicit, ita occupato collectione testiculorum venatore, necem aliquando evadit. Recitat id ex istis Salmuth *comm. in Pancirol. lib. 2. Tit. 1. p. 36.* *Alterum* animal in Sinarum Regno ac novo Mexico inveniri traditur. Hoc, ajunt, testiculis adeo enormibus esse onerarum, ut suspensos minimè gerere, sed terram contingentes trahere cogatur, & qui æquali cum toto reliquo corpore sint pondere, quibus oppressum, cùm à canibus agitatur, atq; evadere non potest, ipsosmet dentibus mordicùs detruncet & libertimè postea aufugiat, ipsis his testiculis à Venatoribus dein collectis ac contusis optimum Moschum præbentibus, recensente ita apud Cl. Joh. Fabrum, Lynceum, *Comment. in Nard. Anton Recchi Hist. nat. Mexic. p. 559.* F. Gregorio de Bolivar, ut habet Dn. D. Schröckius *Histor. Moschi cap. 5. pag. 22.*

§. 25. Verùm ingenti absurditatis & falsitatis vitiò sententia hæc de avtocastratione Castoris oppidò laborat, fabulamq; hanc jam olim docti profligarunt, & quidem Sextius, Medicinæ diligentissimus eod. Plinio *lib. 32. cap. 2.* farente: Dioscorides *lib. 2. cap. 23.* Matthiol. *in Comm. ad Dioscor.* qui & ipse duos Castores, marem & fœminam, secuit, & nullam consentire rationem, ut

Castorea testiculi esse possint, deprehendit. Vallesius *de sacra Philosoph. p. m. 63.* Scaliger *Exerc. 211. f. 6.*

§. 26. Cutiosissimus Castorum profector supra nominatus Dn. D. Wepferus optimè sentit & *loc. citat. in Schol. 1.* advertit, amputationem istam, si non impossibilem, semper tamen periculosam forè, & tantum abesse, ut illâ vitam redimerent, quin potius mortem acceleraturi sint; cùm non solùm testiculi, sed & castorea cum folliculis auferenda morsu essent, quod citra hæmorrhagiam largam, propter amplam harum partium basin & vasa sangvifera insignia his in locis abscondita, non fieret, quæ eò funestior foret, quia sangvis fluidus admodum in fibris, & miselis venatu petitis catagmatica denegantur. Nec malè colligit idem, si invidia apud Castores locum haberet, siq; rerum medicarum conscii essent, venatorem & me Castor ille secundus tendiculâ captus prævenisset, & venatorem lucrò mulctasset, & longæ expectationi meæ illusisset.

§. 27. Originem vanæ hujus & falsæ persvasionis D. Wepferus nec inscitè, nec forsan immeritò, in ipsos venatores tanquam primos fabulæ autores rejicit, quia vel viderunt, Castores fugâ fessos ingvina lingere; vel quia castoreum ceu rem pretiosam sufturari sunt, & Dominis hoc amputationis ludibriò fucum fecerunt, quod ab hoc hominum genere alienum non est, cùm etiam cervi lachrymas dolosè surripiant, & Pharmacopolis vendant. Minus verisimilis est eorum sententia, qui evulgatæ opinionis causam hinc derivant, quòd Castor canibus persequentibus & ventrem obversum & testes ostendat, quorum odoris gravitate affecti canes aufugiant; neq; Æliani *lib. 13. cap. 47.* quòd Castor in conspectu Venatorum partem desideratam tam astutè comprimat & occultet, ut sectatores perbellè decipiat.

§. 28. Sicuti autem ista, quæ de Castore vulgò circumferuntur, fabulosa sunt & manent, ita & quilibet non vanè credulus, quæ de Moschiferorum animalium effera ista & stolida audacia efferuntur, eodem titulò dignabitur, judiciò D. Schröckii. Neq; feles sylvestres aut marinâs, uti vocantur, *pergit idem*, simiasq; mihi quis objiciat, libidinosa animalia, quæ petulantiæ suæ modum finemq; nescientia, vel indignè captivitates suas continuas ferentia, vel densq; fame immodicâ allecta, genitalia sibi ipsis & causas

ampu-

quam in animali nostro ( muschifero ) similis in proprium corpus sævitia fuisset deprehensa, quod tamen permagnâ adhuc indiget confirmatione, quis inde naturalem instinctum ad talem perpetrandam lanienam vel tantum intellectum & prudentiam bruto isti tribuere valeat, ita ut testium suorum pretiosam naturam, quæ tanta revera non est, (nisi quatenus generationi inserviendo, multiplicationi etiamodoratorum istorum animalium inserviunt) intelligere, reliquæ autem partes quòd non adeò expetantur, nosse dicendum sit? Mihi sanè, cum Salmutho, ex invidia Castorem id facere, contra alios negante, paucis mutatis verbis fabulam hanc claudere lubet, & homines è propria sua opinione scientiam & prudentiam brutis istis quòd adscripserint, dicere. Unde enim brutis animalibus tanta scientia, quam homines non sine experientia & ratiocinatione addiscerent? *Hactenus Dn. D. Schröckius*, qui non immeritò illam de altera animali moschifero relationem ab autore factam in dubium vocat, & ab eodem, quia animal istud nunquam vidit, certi quippiam proferri potuisse negat, præsertim, cùm in nullo probato de Regnis istis Scriptore (quot quidem evolvere ipsi licuit) ejusdem mentionem factam recordetur, quod ob raritatem vix intermisissent.

§. 29. Ad instinctum naturalem pariter referimus illam, quam Castores ipsi observant, in *Dominos & Servos* distinctionem, quatenus hi istos venerantur, cultumq;, quoties Domini capiuntur, mœrore luctuq;, quem incessu vultuq; indicant, produnt. Domini nigri sunt, servi alio, & quidem tuffescente colore præditi, id quod Julius Pomponius Sabinus ex observatione Scytharum habet. Servi poma legunt, cædunt cortices, inde duo junguntur, in quorum dorsum alii ex bacillis veluti cratem conficiunt, & postea poma ac cortices superimponunt. Illi autem, qui subiere, juncti procedunt pari gressu usq; ad regiam & ibi exonerantur.

§. 30. Facultatem appetentem è Castoris *desiderio* & *aversatione* colligimus, prout nim. idea imaginationi impressa occurrit vel utilis & jucunda, vel inutilis & ingrata, vel ad corporis sustentationem ac commoditatem conveniens, vel propter destructionem & incommoditatem inconveniens & discrepans.

§. 31.

§. 31. Concupiscibilis & irascibilis facultatis vestigia in Castore *amor* & *odium* produnt. *Amore* in fœtum incredibili Castor flagrat. De Castore fœmina narravit Guilielmus Pelicerius, Episcopus Monspeliensis, citante Aldrovandô, quæ catulis ereptis conclusa portis firmissimis, erosis & clavis evulsis, & patefactô aditu ex alto loco præcipitem se dedit. Similis farinæ historiam Excell. Dn. D. Paullini in literis ad me exaratis mihi communicavit, quam à Livono, suo olim in Academia Lugd. Batav. contubernali accepit. Hic in Russia apud Nobilem quendam vidit Castorem fœminam cum catulis suis captam & stabulo inclusam, cui cum unicam tantum sobolem joci causa Nobilis abstulisset, insanum quærulari cepit & tumultuari quasi in rabiem acta. Ostiô tamen validissimô licet munitô & occlusô è cardinibus suis motô, erupit truculenta bestia invasura nobilem, qui catulô dimissô vix evasit. Subitô autem mitior facta fœtum suum lambendo in stabulum reduxit.

§. 32. Quantus in Castore amoris, tantus vicissim in eodem *iræ & odii fervor* suscitatur: siquidem acribus suis quatuor dentibus suum instar pugnant, & seipsos nonnunquam ad mortem usq; lædunt & dilacerant, teste Franco. Si quem mordent, non desinunt, nisi prius ossium fragorem sentiant, ex quo colligit Gesnerus Castorem bestiam mordacem non nisi magnâ cum difficultate posse mansvefieri, quanquam Julius Pomponius Sabinus contrarium statuat. Timidum tamen simul animal proclamatur, id quod tum cordi ejus magno, tum particulis tartareis & fixis, quo sangvis ejus abundat, adscribitur.

§. 33. Potentiam ægrotandi nemo Castori negabit, qui eum ut corpus mixtum consideraverit. Frigore & siccitate eum affligi & mori, si modum excedunt, quis dubitabit? Alvi obstructione ex esu amorum & corticum arborum styptica facultate pollentium laborat, quanquam alii ex inopia fellis ad intestina detrudendi, cùm vomitu frequenti ejiciatur, id accidere contendant. Eâ de causâ Castorem caudam suam sæpius madefacere, ut alvi duritiem sic solvat, statuunt. Lapis castaneæ magnitudinis durus ex teste Castoris extractus, quem habuit Dn. D. Ettmüllerus, quod in *sua Disput. de Præcipit. usu & abusu capa.* §. 11. refert, præternaturalem

sanè

ſane ejusdem Caſtoris conſtitutionem fuiſſe arguit. Nec dubitandum, pluribus Caſtorem modis, ut ut non ita patentibus, nec cognitu facilibus, laborare, quia talis ejusdem eſt conformatio & ad patiendum æquè, ut in aliis, inclinatio, ut morboſus ſubnaſci queat ſtatus.

## III. Motus.

§. 1. *Motus* Caſtoris jam conſiderationem meretur, non ille *naturalis*, qui eidem convenit, non ſecundùm quod Animal præciſè eſt, ſed ſecundum eſſe mixti, ut Combachius *lib. 4. Phyſ. cap. 3. comm. 10.* loquitur, quiq; juxta elementum terræ prævalens fit deorſum; verùm *animalis* hoc loco ſpectatur, qui Caſtori, ut eſt animal partim greſſile, partim natatile, competit, & ab anima ejus ſenſitiva provenit. Sunt enim poſteriorum pedum ratione Caſtores σεγανόποδες, *palmipedes*, quaſi dixeris, pedibus contignatis, quibus perinde utuntur, ut remis nautæ & pinnulis ſuis piſces. *Quam ob rem, ſi vel piſcium pinnula vel avium* (addo & Caſtorum pedibus) *interjecta cutis deſtrueretur, nare non poterunt.* Ariſtoteles *lib. 4. de part. anim. cap. 2.* Natura enim, ut idem ait, inſtrumenta ad officium, non officium ad inſtrumenta accommodat. DEUS enim pedes tribuit, quos & contrahere poſſent & deducere, ut ita contractis meliùs aquas ſcinderent, deductis autem propellerent: quomodo videmus remiges, ut magis undas impellant, obvertere remorum palmulas. Et in natando plus proficimus junctis, quàm digitis diviſis. Solida etiam ligna magis feruntur ſecundo flumine, quàm feneſtrata. In ſcindendis verò aquis diſpar ratio, quas faciliùs deducas acie gladii, quàm ſi latâ eas ferias laminâ. Quæ verba mea accommodatò ex *Diſſertatione de Anſere Martin. part. 2. cap. 3. membr. 1. circa finem* huc trahere & præſenti materiæ accommodare volui. Anteriores quidem pedes, quos uncatos caninis ſimiles eſſe diximus, Caſtor ad foveas ſibimet excavandas habet, ſed ita, ut ſuppetias in natando poſterioribus, & hi anterioribus in gradiendo ferant. Lentô gradu in terra ceu anas incedit, ſteucht mehr als er geht/ ait Dn. à Hohberg loc. cit. at velox in aqua eſt, ubi caudam gubernaculi inſtar ceu remigando movet. Ut velociùs & feliciùs in aqua pergat, humoris in folliculis ingvinalibus contenti beneficio id efficit: ſiquidem

Castor, cum ad aquarum rivos venantium furore adigitur, ne pilorum siccitas officere natationi possit, liquorem cellulis emunctum suis ore per pellem distribuit, atq; sic unctæ carinæ instar insidiis elabitur, ut eleganter disserit Dn. D. Pechlinus *in de aëru & elementi defectu pag. 73.* quanquam eodem liquore, quando in campum abit, caudam suam tingat propter metum, ne Sol caudam exsiccet, judice Th. Bartholinô *Cent. 1. Epist. 9.*

# CAPUT II.

## Externas Castoris affectiones recenset.

### I. Locum.

§. 1. Locum, ubicunq; Castor, sive in aquis, sive in terris, degat, *specialissimum*, quem semper in quocunq; ubi *proprium* habet, sive in superficie, sive in spatio loci ratio ponatur, occupat. Nullum enim corpus naturale loco destituitur. *Specialis & communis* jam terra est, jam aqua, humo limosa potissimum gaudens, wo es lettichten Grund hat / quia, ut diximus, Castor animal est amphibium partim in undis, partim in terra vivens. Inde cum Bousveto in carminibus ad Historiam Aquatilium Rondeletii Aldrovandus sic canit:

*Ancipitis vita Castor nunc vivit in amne,*
*Nunc spretis terras ille frequentat aquis.*

De die in fluvios abditus ætatem agit, noctu in terra vagatur, Ælianus *Hist. animal. lib. 5. cap. 34.*

§. 2. Motam tamen sub aquis justò longiorem metu suffocationis trahere nequit, quare cum per aquam cursum suum continuat, vel amnem transnatat, erectô subinde super aquam capite trajicit, ea de causa domicilium suum per gradus ita extruit & disponit, ut pro ratione incrementi & decrementi aquarum respirationis & caudæ humectandæ ergò adscendere & descendere queat. Qui verò fiat, ut Castor, Lutra, Phoca, Anates aliaq; amphibia sub aqua diutulè vivere queant, docent Consentinus *Progymn. 8. p. m. 309.* B. Ettmüllerus Disp. *de Respirationis human. negotiô cap. 9. §. 7.* Doctiss. Pechlinus *loc. supra citat. cap. 9.* quorum ille & iste, ut

&

& Th. Bartholinus *Anat. reform. lib. 2. pag. m. 410.* rationem à certa meatuum in corde conformatione, hic verò à sangvinis crassi peculiari & ferè pisculentâ desumit.

§. 3. Aquarum sylvis vicinatum ripas Castor amat, tum ut materiam pro domicilio in aquis ædificando propiùs habeat, tum ut ligna è sylvis convecta terræ contignare facilè queat. Avia sed tranquilla sunt ea loca, in quibus degit, ut venatorum insidias & injurias vitet, nec sedes ejus aquarum irruentium impetu turbetur.

§. 4. *Communissimum* locum tractus terrarum illarum regionumq; concedit, ubi degendi commoditas illi datur, qui sanè climatum & plagarum ratione variat. In Septentrionalibus aquis maxima Castorum est frequentia, eò quod judice Olao M. *loc. cit.* quietiores sint quàm Rheni vel Danubii, ubi strepitus est & incessabilis navigantium labor, præterquam quòd regio Aquilonaris & infinitis fluviis & innumeris arboribus ad Castorum ædificia idoneis abundet. Scaliger *exerc. 215.* testatur Burgundio circa Matronam fluvium multos Castores venari eorumq; testes (Castoreum) & pelles ad Vesuntiorum emporium deferri. Reperiuntur etiam in Borussia, Russia, Polonia, Sclavonia, Helvetia, Lotharingia, Gallia, Hispania, in Canada & universis Indorum occidentalium regionibus. In Pannonia & Austria, ait Matthiol. *lib. 5. Epist. p. m. 341.* Danubius multos alit Castores, in Stiria verò Dravus & in Bohemia Albis, qui inde permeat ad Saxones. *Fibris maxime abundant ripæ Aquilæ fluvii, in regione seu districtu Reginohradecensi.* Bohuslaus Balbinus *Miscell. Hist. Regni Bohem. lib. 1. cap. 6. p. 138.* Virgilius 1. Georg. enumerans loca, ex quibus res pretiosæ deferuntur, excellentissimum Castoreum ex Ponto asportari, hunc in modum recitat.

*India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,*
*At chalybes nudi ferrum, virosq; Pontus*
*Castorea.*

§. 5. Fertilitatis tamen gloriam non omnia loca habent perpetuam. Augustam asportari ex Ilera & Danubiò & à Bibero prope Lepheim, ubi piscatores & alii ad id officii genus constituti eos summâ cum diligentia indagant ac persequuntur, jam olim Marius scripsit: at Dn. D. Francus in Additamento hæc subjecit: Maximam copiam ante 40 & 50 annos Ilera fluvius subministrabat,

ut numerus captorum Castorum spacio trium annorum ibi 120. excoeserit, jam verò nullus videtur, causa est, ceu ex viro rei piscatoriæ habeo, captura Castorum prægnantium. Ante aliquot annos etiam in fossis suburbanis nostris persecuti, iisq; lenticulæ positæ fuerunt, ast hodie nullum adest eorum vestigium, nec Danubius, nisi Austria ministret, ullum alit. *Hac ille.*

## II. Tempus.

§. 1. *Castor*, sicut omnia corpora naturalia, in *tempore* pariter est, id quod ex duratione, quæ est rei in esse suo permanentia ad motum corporum cœlestium mensurabili, constat. Quamdiu autem Castor in esse suo permanet, tamdiu variè secundum ætates, temperamentum & constitutio ejus mutatur. *Ætas* vel crescens est, vel vigens, vel decrescens. *Crescens*, cùm generationis principiis sit vicina, calidi & humidi maximè est particeps. In ætate *vigente* calor est notabilior & siccitas adest. Ætatem *decrescentem*, in qua caloris vis insita labascit, siccitasq; longè major adest, tandem mors, quæ est finis durationis, & naturalis audit, excipit.

§. 2. Hanc autem paucissimi Castores experiuntur, cum aspera violentæ mortis fata priùs experiri cogantur, quàm ultima vitæ naturalis linea adveniat, quatenus naturalis eorum constitutio evertitur, partim à causis *naturalibus* tùm *externis*, factâ vel omnimodâ aquæ, caudæ perpetuò humectandæ necessariæ, denegatione, unde moriendi necessitas ex siccitate imminet; vel terræ ad alternationem & victûs ad nutritionem ibi colligendi subtractione: vel frigoris intensissimi inclementiâ totius constrictione *(nam de Amphibiis notum, ea ad hybernum frigus corrugari & vita usum amittere, ait Peeblinus l. c. cap. 4.)* vel plagarum & vulnerum vehementiâ magnâ continui solutione; tum *internis* variis constitutionem & temperamentum Castoris quovis modô evertentibus & diversarum partium in corpore mixto unionem dissolventibus.

§. 3. Violentas autem manus venatorum, eorumq;, quibus jus Forestæ competit, insidias variis modis struentium Castores frequentius sentiunt, quas ex constitutione venatoria Electorali Bavarica petimus, quam D. Sebastianus Khraisserus in de *Jure*

*ve-*

*venandi & piscandi Romano - Bavarico cap. 13. pag. 34.* tradit sequentibus: Castor sive Fiber (der Biber) à festo D. Michaelis usq; ad Pascha plagis, seloperis sive bombardis, item tendiculis sive decispulis (mit fürgelegten Netzen / Garn / selb geschossen / Fallen und Schiessen) capiatur. Illustris Dn. à Hohberg *Georg. curios. part. 2. lib. 11. c. 3.* hæc habet: Der Biber wird mit Hunden ausgespührt / und aus seinen Geschleiff ins Netz oder Fischbeer gejagt / oder wird mit Geern gestochen. Zu Nacht kan man ihn bißweilen zu Land antreffen und hetzen. Noctu enim Castorem in terra vagariex Æliano supra adduximus.

§. 4. Septentrionalibus in regionibus brumalis solstitii tempore, quando cauda Castoris vi frigoris constringitur & ad extrahendum ipsis fit inepta, à venatoribus facilè interficiuntur: quanquam sint, qui hoc in dubium vocent, scribentes vigente brumâ ad movendas aquas, ne circa caudam congelentur, Lutram à Castoribus cogi: quibus tamen Gesnerus contradicit.

§. 9. Aldrovandus *ex libro de natura rer.* Venationem Castorum hoc modo exerceri refert: Venator canem ad hanc Venationem instructum habens, illum ad loca palustria & à Castoribus frequentata ducit, canis peritus aquam ingrediens versus foveas Castorum natat, quas intrans morsibus Castorem expellere conatur, sed bellua cani nullô modô cedit, donec Castoris habitatio à Venatoribus dissipetur.

§. 6. Gesnerus *lib. de Quadruped.* de Castore (nam & *lib. de Aquatilib.* de eodem scripsit:) aliam venandi rationem describit & dicit, Venatores supremam partem cavernæ Fibrorum perforare, per foramen canem immittere, inde Fibrum exitum ad fugiendum quærere, & irretitum fustibus percuti, vel canem ad hoc instructum in aquam projici, qui cavernam Castoris ingrediatur; Castorem autem morsibus non cedere, donec artificiosa illa casæ ejus structura refringatur. Castor ille primus D. Wepferi à Piscatoribus in Rheno, non procul à confluentia Limagi, Ursæ, Arolæ & Rheni mediis in undis natans remis percussus & craniô in fragmenta comminuto enectus & captus fuit. Alter ejusdem prope Guttenstaig juxta ripas Danubii ibidem alicubi vorticosi & per loca aspera & inculta montium præcipitia decurrentis tendiculâ ferreâ captus fuit. *Venator*, ait, *tendiculam ferream catena ferrea*

*alligatam prope rimam fluminis occultavit iis in locis, quos Fibrum transiturum ex vestigiis cognoverat. Incidit Castor pede anteriore in tendiculam, incisoribus semet ab illa liberare annitebatur, unde non parum obtundebantur, dumq; à tendicula prehensus omnem vim adhibet ut libertate potiatur, semet in fluvium precipitavit & suffocatus fuit.* Bombardarum & scloporum globulis facilè petuntur. Cum enim diu urinari nequeant, quin respirationis causa caput ab aqua exerant, illorum vim ex improviso experiuntur. In Bohemia Fibros ferreæ catenæ & vincula captos tam arctè constringunt, ut protsus enecent. Bogislaus Balbinus l. c. ubi periculosum esse totum hoc negotium ait, quòd viderit Fibrorum loco homines miserabiliter occisos, qui incautè & immemores compedum illorum ad ripas accesserant.

§. 7. Qualem autem duratio Castoris naturalis in latitudine terminum habeat, seu quot annos vivat, non æquè constare potest. Verulamii deprædatoriam aeris virtutem urgentis judiciò si standum, breviorem amphibium hoc animal, quàm pisces agere, dicendum. *Piscium vita*, ait Vir Magnus *Histor. Vitæ & Mortis ad artic. 3. §. 39. magis incerta est quàm terrestrium, quum sub aquis degentes minus observentur. Non respirant ex ipsis plurimi, unde spiritus vitalis magis conclusus est. Itaq; licet refrigerium excipiant per branchias, haud tamen ita continua fit refrigeratio, quàm per ambitum. In aquis cùm degant, à deficcatione illa & depredatione, quæ fit per aërem ambientem immunes sunt. Neq; tamen dubium est, quin Aqua ambiens atq; intra poros corporis penetrans & recepta plus noceat ad vitam quàm Aer.* Hæc ille. Castor ig. nec in aëre spiritus vitalis deprædationem, nec in aquis ejusdem, datà per poros corporis portà imminutionem effugiens, non potest non vitæ terminum præ cœteris accelerare. Verùm tanta in diversis aquatilium speciebus ætatum datur differentia, ut si quis ex ea spiritus vitalis, seu, ut alii loquuntur, calidi innati & humidi radicalis, non tantum differentiam magnam, sed & ejusdem nobilitatem elementari majorem, indeq; judicii de vitæ termino difficultatem colligat, huic sententiæ dicta ista fidem præstruere, vix immeritò dicatur: siquidem quanta in his differentia? Crocodilo 60. ætatis anni assignantur, Muræna todidem; Carpio, Tincæ, Angvillæ decem; Trutæ & Salmones citò grandescunt, brevi vivunt. Perca tardè

cre-

crescit, vivit diutiùs. Ut ad Castorem revertamur, hic ad 30. & 40. annos vitam pertrahere dicitur, imò, quod ex relatione D. Francus habet, quidam ad 78. annum usq; delectationis gratia nutritus tandem à morsu ab allo accepto mortuus est. Adeò Castoris vita seu terminus ejusdem naturalis incertus manet.

# CAPUT ULTIMUM.

## Castoris usum varium recitat.

§. 1. Usui, quem Castor Homini confert, hunc locum supra *part. 1. cap. 3. §. 5.* assignavimus. Sanè Homini, ut creata omnia, ita & Castor, inserviunt. Ad Hominem omnia creata ordinari Aristoteles quoq; *lib 2. Phys. cap. 2.* docet ejusq; asserti *lib. 2. Pol. cap. 5.* duas rationes affert, quas Kyperus *lib. 1. Instit. Phys. cap. 3. §. 6.* recitat 1. quia ut Homo perfectus sit ei nihil necessarii deficere debet: hinc debet habere *alimenta*, quæ à plantis & animalibus peruntur; *tegumenta* quæ maximam partem similiter ex animalibus capiuntur; *munimenta* alia, quæ varia corpora naturalia suppeditant; *materiam inspirationis*, quam suppeditat aer vaporibus immutatus & *influxum cælestem*, sine quo inferiora conservari nequeunt. 2. Si animalia non forent hominis causa, frustra forent, sed reliqua omnia sunt propter animalia, ideo & illa vel ad hominem referuntur, vel frustra sunt. Inde rectè collegit Aristot. *lib. 1. Met. cap. 2. Naturam homini quasi servam inservire.*

§. 2. *Usus* autem, quem Castor Homini confert, varius est. Nam præbet

### I. Gratum palato alimentum.

Caro Fibri in cibum parata laudatur ab his, culpatur ab illis, prout nim. sua quemq; voluptas trahit. Gesnerus *lib. de Aquatil. pag. 223.* è Pomponio Sabino notat Scythas caudam comedere & in deliciis habere & sale condire, ut nos perasores: est enim ita pingvis cauda ut lardum. Idem quoq; *lib. de Quadruped. pag. 339.* non tantum alios, quibus carne Castoris vesci fuit datum, eam laudasse, sed seipsum quoq; quanquam aliàs nihil Castoris, caudam

&

& pedes posteriores jure croceo conditos, gustasse refert, & addit; *Suaves, tenera & prepingues sunt ha partes, instar ibuum carnis, solidâ quadam tenacique pinguedine, saporis ferè, cujus anguillæ, quibus similiter etiam apparantur, ubi modicè primùm ebullerint. Appetunt has delicias gineones, maximè autem ipsas inter digitos membranas. Memini alicubi apud Plutarchum legere,* ἡδίστα κρεῶν τὰ μὴ κρέα: h. e. *suavissimas esse carnes illas, quæ non omninò carnes sint. Ejusmodi certè carnes ista in Fibro sunt, ut quæ ad piscium naturam saporemq; proximè accedant: unde jejunii etiam temporibus apud illos, qui ea obtinent, conceduntur.* Dn. D. Schenckius Prof. quondam Jenæ celeberrimus, Hospes meus olim charissimus, mihi hospiti eas commendavit, idemq; *in Epist. ad Sachsii Gammarolog. pag. 932.* Castoris carnes, præcipuè armorum assatorum inter epulas primarias mensæ L. B. à Schönburg in Rochelsburg eo tempore, quando ab ejus consiliis fuit, impositas fuisse refert. Propterea etiam in constitutione venatoria Bavarico-Electorali Castorum Venatores partes extremas Castoris ad Aulam præsentare tenentur, teste D. Khraisero locò citatò, Der Schweiff wird billich für ein treffliches Herren Essen gehalten / ait Dn. à Hohberg / loc. cit.

§. 3. E contra Joann. Marius castoream carnem suo palato minimè arrisisse fatetur, quòd sit admodum dura, & ad concoctionem non facilè delectabilis, sed potius aggravet, præprimis cum obesa est, stomachum: non tamen negat, caudam in conviviis magnatum in delitiis haberi & pro ferculo lautiore apponi. Albertus M. totam Castoris carnis abominabilem, præter caudam, vocat. Plures carnem ejus insuavem, duram, amarorem ex amaris pabulis atq; aliquid virosi in se habere, & antequam alimenti locò apponatur, elixatione mitigandam esse docent. Quod cum à Dom. quodam Carthusiano in præparatione Castoris cujusdam negligeretur, primùm nauseam, hinc vomitum & febrim Ephemeram peperisse ait Wepferus *l. c. pag. 368.* Hieron. Tragus *Herbar. part. 4. cap. 14.* hasce deliciarum cupedias Proceribus relinquit, iisdemq; pernam aut petasonem pingvem præfert.

§. 4. Nos hanc judiciorum de castorino cibo diversitatem non miramur. Nam cùm in omnibus speciei humanæ individuis Fermentum ventriculi eodem modò se non habeat, mirum non est, in diversis in diversa & sæpe absurda appetitum ferri, propterea q; hunc

hunc Castoris carnes appetere, illum rejicere & contrera, etiam viliora, præferre, quod sæpiùs evenire experientia confirmat. Piscatorem novit D. Francus, qui Monachis quibusdam Carthusianis Castorem sine pelle sex florenis vendidit. : *ego*, dixit Piscator, *non quinq; grossis æstimavi. Pinguiariù*, pergit D. Francus, *in cibatu gratiùsima est, ast alii nauseam parit, imò, ceu civi meo honorato accidit, ex superveniente diarrhœa, ipsam mortem.*

§. 5. Respectus igitur *appetitûs* & delectus *partium* habendus hìc considerationem merentur, & quidem *partes* Castoris *anteriores*, quia caloris & sangvinis fontem fovent, ad carnes, *posteriores* verò, cauda & pedes, quia ad piscium colorem, odorem & saporem accedunt, ad pisces referuntur, (unde etiam Castorem semipiscem appellari supra diximus) propterea hæ tempore quadragesimali, quo caro aliàs lege Papali interdicta est, Pontificiorum & cœterorum pisciniatiorum palato conceduntur. Quàm benè ergò in uno convivio tempore jam dicto Luthetani & Pontificii carnea fercula desiderantes circa Castorem occupantur, illis anteriores hujus animalis partes, his posteriores ejusdem in esum & usum trahentibus.

§. 6. Variis autem modis *caro Castoris*, jam per se & sola, jam cum aliis, *apparatur. Per se* sola vase apertò, ut odor gravis expiret, elixatur & deinde assatur, &, si demum libet, zingibere paucò conspergitur. Alii acetò prius per aliquot dies carnem macerant, tandemq; vel elixatatam vel assam, lardôq; caryophyllis accorticibus citri confixam apponunt. Caudam præcipuè, quia, quod Dn. D. Sebizius l. c. prodit, crassum, lentum & phlegmaticum succum gignit, coctu difficilis est, & quia pingvis largiùs esitata, ventriculum laxat, cibiq; fastidium parit, *variò condimentorum apparatu* coquæ doctæ, ut qualitas vitiosa corrigatur, instruere satagunt. Unicum modum ex D. Franco adducam: Separatâ aquâ ferventi cute primâ, cauda Castoris elixatur unà cum pedibus ad duas vel tres circiter horas, vel ad albedinem & separationem secundæ cutis, qua separatâ cauda conscinditur in partes aliquot obliquas, percoquitur in sarragine cum vino albo adjectis zingibere, pipere, cinamomo, passulis minoribus, amygdalis & croco legis arte, & eâ adornatur mensa.

## II. Salubre ægroto medicamentum.

§. 1. Amplisſimus hic aperitur Philiatris campus, in quo ſi omnia & ſingula curioſis oculis uſurpandi licentiam nobis ſumeremus, à ſcopo, qui eſt Phyſica tractatio, aberrandi occaſio foret præſens, & medica mole ſua phyſicæ præponderatura regreſſum noſtrum opinione longiùs retardaret. Ne tamen ſterile planè hoc punctum maneat, jam, velut in tranſitu, extauriorum, quæ præcipua videntur, quaſi comas ſaltem decerpere, pleniorem verò hujus materiæ tractationem commodæ occaſioni reſervare placet.

§. 2. Medicum in uſum veniunt & conferunt Caſtoris *pelliu* ad maniam, ſpaſmum, dolorem colicum, cardialgiam, uteri dolorem, ad cuſpides fuſi vel ferri cuti infixas: *pinguedo* ad Epilepſiam, Apoplexiam, Spaſmum, convulſivos motus, nervorum duritiem, vertiginem, dentium & aurium dolorem ac tinnitum, nauſeam, vomitum, colicam, dyſenteriam, teneſmum, renum & uteri cruciatus, uteriq; procidentiam: *pili* ad narium & vulnerum hæmorrhagiam: *dentes* ad dentitionem (appenſi) ad dolorem dentium (in gargariſmo) ad plevritidem & epilepſiam puerorum (propinati) *cerebrum*, *pulmones*, *hepar*, *ſtercus*, *urinam* & alia, licet vitibus ad ſanitatem hominis conferentibus non deſtituantur, quia tamen elegantioribus & magis obviis Medicina hodierna remediis gaudet, parata & paranda ex iſtis medicamenta mittimus. Solum *Caſtoreum* decantatisſimam ob vires eximias in foro Medico, & propterea nobilisſimam Caſtoris partem compendio ſequenti aſſervamus.

§. 3. Vox hæc, *Caſtoreum*, vel *generaliter* accipitur, & tumorem in Caſtoris utriusq; ſexûs ingvine ſitum notat, continentem ſubſtantiam partim liquidiorem, exſiccationi ineptam; partim hujus reſpectu ſolidiorem, quæ odore gravi & penetrante nares ferit, quam cetoſam dici ſupra inſinuavimus, quæq; exſiccata friabilis redditur. Atq; hæc poſterior κατ' ἐξοχὴν caſtoreum, & *ſpecialiter* ita dicitur, eaq;, cum præſcribitur, intelligitur, magni in Medicina uſûs. Particulas hujus craſin conſtituentes heterogeneas chymicâ arte Dn. D. Faſchius *l. c. cap. 2.* exploravit, quæq; inter explorandum occurrerunt, varia & elegantia phœnomena itidem inſinuavit, capite ſeq. modum Caſtoreum colligendi, ſiccandi, aſſervandi, Sophiſticatum à genuino diſcernendi, tempe-

mentum rationis & experientiæ adminiculis indagandi, idq; præparandi doctè proposuit; tandem vires Castorei internas tum generales, tum speciales nervosè persequitur ad quem, ut & ad Joan. Matii Castorologiam, &, quæ isti variis formulis adjecit D. Francus additamenta perpetua, istorum curiosum Lectorem remittimus.

§. 4. Ut tres *corporis humani regiones*, quibus salutem & solamen Castoreum confert, animò summatim quæq; ex eo notandi, percurramus, I. *Supremam*, quæ *Capiti* adscribitur, *Castoreum* præsidium confert affectibus sopotosis omnibus, apoplexiæ, paralysi, comati, lethargo, doloribus capitis gravativis, epilepsiæ, catalepsi, motibus convulsivis, memoriæ imbecillitati, visus obscuritati, aurium tinnitui & surditati, catarrhis frigidis. II. *Mediam*, propriam *Thoracis*, ubi asthmati convulsivo suà Castoreum adest ope, morbis malignis virtute alexipharmacà, ut & variolis & morbillis. III. *Tertiam*, quæ *ventris* vel *Abdominis* est; in hac præcipue Castoreum commendatur ad Ventriculi inflationes, intestinorum dolores, pareseos ex colica, singultum, nephritidem, lumbricos, casum ab alto, gonorrhœam, dolores arthriticos, fœtum insuper vivum & abortum pellit.

§. 5. Specialissimè autem *Uterinis* affectibus viribus suis egregiis dicatum est *Castoreum*, quod nec mulierculas latet, quæ in illis affectibus ad Castoreum tanquam ad sacram anchoram Medicò insalutatò propriò usu, nec infelici semper successu, confugiunt: idem *Excellentiss. & Experientiss.* Dn. D. Wedelius *Fautor & domus noster magnificus in amœnitatibus materiæ medicæ verè amœnis* Castoreum non tantùm intet polychresta ad affectus soporosos refert, & ad Cardialgiam divinum remedium vocat, sed & basio, item animam omnium hystericorum jure appellat. Formulas remediorum variis ad uterinos & reliquos affectus collegit D. Francus loc. cit. ad quem curiosos remittimus. Mittimus brevitatis studiò externum Castorei usum.

§. 6. Odorabilem Castoris qualitatem transire justimus supra *part. 2. cap. 1. §. 7.* quòd parum momenti ad vitalem institutum conferat. Id de toto quidem, non tamen de omnibus totius partibus intellectum volumus. Siquidem Castorei odor magnum tum ad noticiam, tum ad salutem momentum confert. Quod Th. Paracelsus *lib. 4. de vita rer.* de Moscho dixit, ejus vitam in trav odo-

odore consistere, eoq; amisso mortuum & evanidum reddi: Idem de Castoreo quoq; dici potest, in ejus odore, ut ut ingrato, proprio tamen & specifico, vitam consistere, eodem autem temporis edacitate ablato, mortuum esse, seu virtute medicâ carere. Ejus naribus admoti odor apoplecticos, epilepticos & hystericas excitat; quamvis sint, quæ à Castorei & aliorum odore fœtido lædantur, cujus exemplum D. D. Schröckius *Histor. Mosch. pag. 148.* recitat. plures tamen in ejus non effœti fœtidô odore refectionis emolumentum invenire experientia quotidiana etiam mulierculas docuit. Examen autem, quomodo Castoreum genuinum à Sophisticatô sit discernendum, Medico & Pharmaceutico foro relinquimus. Potiores boni notas Otho Cremonensis *lib. de elect. melior. simpl.* brevibus hoc inclusit rythmo:

*Gustibus exosum, grave, castoreum, pretiosum,*
*Nigrum, nervosum, simul atq; recens, glutinosum,*

Quibus Castores violentâ morte trucidatos propriis manibus sæpiùs tractare datur, genuinas veri notas facilè comprehendunt; ut qui è fluvio Elistra, (id quod superioribus erat addendum) cujus rivos Castores quandoq; inhabitant, item è Saxonia, & in specie è ζωοτροφείῳ Electorali, in quo delectationis gratia plurimi aluntur, eos acquirendi habent occasionem.

§. 7. His rythmos, quos Joh. Joachim Becher *in suo Parnasso Medicinali illustrate part. 1. pag. 24. num. 89. recitat*, subjungimus:

Der Biber ist ein Erd- wie auch ein Wasser-Thier/
Der Apotecken er 3. Stück giebt zum Gebühr.
1. 2. 3.
Das Fett/ die Bibergeil/ wie auch die Biberhaut/
Die insgemein sind aus dem Biber feyl erlaubt.
1. Gerechtes Biber-Fett in warme Glieder tringt/
Zu recht von Schlag und Fraiß contracte Glieder bringt.
2. Geruch von Bibergeil ist unannehmlich zwar/
Er stillt das Mutterweh/hilfft Weibern aus Gefahr.
3. So man aus Biber-Fell ein Sträuchen machen thut/
Denselben trägt/ er ist für lahme Glieder gut.

§. 8. Tandem in gratiam Philipporum, ut plerumq; Nobiles tales sunt, (Philippus Φίλιππος *equos amans*, est ex Φίλος *ami-*

*amicui*, & *sanus equus*) Ungventum de Castóreo, Biber-Salbe ad omnia Equorum externa mala atqi vulnera utile, è Georg. Simonis Winter *Hippiatri lib. 3. cap 2. pag. 157.* adducere, eoqi huic membro supremam inunctionem dare placet. Ungventum hoc, ait idem, multifariam præparari solet, ego autem compendiosiorem viam & commodissimum saltem modum hìc adducere volui. Primò deglubitur Castor, ejusq; intestina ab excrementis mundantur, deinde totus Castor, exceptâ cute jam ablatâ, alvique fecibus ab intestinis separatis (hæ enim partes nullius hìc sunt usus;) minutim inciditur, inq; ahenum oleum olivarum continens immittitur, fitq; exacta coctio, postea, factâ sufficienti coctione, exprimitur tota massa in ahenum purum, reliquo abjecto, & tandem expressioni in aheno adduntur sequentia:

℞ Terebinthinæ *libram semis*,
Mellis
Adipis, aut pingvedinis suillæ;
Olei olivarum ana *libras duas*,
Ungventi de alchæa *libram unam*,
Thuris,
Masticbes ana *Uncias quatuor*,

coquuntur iterum omnia bene, tum effunduntur in ollam vitream, addendo

Sevi ovill. *libram unam*,
ceræ novæ *libram semis*,

Hinc olla diligenter perlutata in ahenum aquâ repletum, ita tamen, ut ne aqua operculum ollæ contingat, demittitur, fitq; iterum coctio ad integram horam: deniq; operculó ablatô, olla per noctem aëri exponitur, & manè, si forte Ungventum spissius paulò evaserit, adjicitur aliquid olei olivarum deputati, sedulò hoc Ungventum agitando, & sic habes Ungventum hoc.

Ungventum hoc multum auxilii iis præstat Equis, quibus cauterium adhibitum est, ulceribus quoq; omnis propemodum generis medetur, inprimis verò illis à Paronychia oriundis, itemque allisioni pedum aliisq; externis vitiis, semel tantum aut bis usurpatum.

## III. Aptum & decorum corpori tegumentum.

§. 1. *Pelles* Castoris non solùm *tegumento* & *munimento* adversus frigoris injurias, sed & *ornamento* sunt Septentrionalium Regionum populis, Moscovitis præcipuè & Polonis, quos natura Castoribus elegantiorum & durabilium magis pellium, & propterea majoris pretii præ cæteris donavit. Præferuntur autem dorsi pelles nigrò coqi nativò colore præditæ, quas vestium pellitarum oris adduni, tum ut decoris gratia emineant, tum quia eisdem pelles alias conservari existimant.

§. 2. *Tegumentum* autem Castoris pelles conferunt 1. *Capiti.* Ex pilis enim ejusdem molliorìbus de ventre petitis pili illi fibrini sive de Castore, Castor-Hüt / concinnantur, aliisq; tum propter mollitiei, tum propter elegantiæ gratiam præferuntur, magnoq; satis pretio divenduntur. Galeas pelle castorinâ tectas & quandoq; latas fuisse ex illo Mantuani colligitur:

*Sunt quibus amphibium pecus est pro casside Fiber.*

Legi hic merentur, quæ Joann. Marius in loco sæpius citato §. 11. annotavit: *Haud pridem*, ait, *Judæus quidam me adiit, quem non ignorabam, ad visendum, & cùm ex me audivisset, in animo habere atq; accupatum esse de Castore aliquid conscribere, dixit se aliquid artificiosè me edocturum esse, quod à suis Majoribus & originaliter pro certo à Rege Salomone promanasset; Si quis nempe ex Castoris pelle pileũ factum gestet in capite, atq; quolibet mense caput unà cum spina, oleo Castoris inungat, & quotannis bis de Castoreo ad pondus aureos assumat, tam excellentem memoriam sit consecuturus, ut omnia retinere valeat, quicquid semel tantum lecturus sit, de quo liberum cuilibet judicium ac probationem relinquo;* & nos cum eodem relinquimus. Idem tamen §. 27. Virginem quandam memoriam post febrem malignam totaliter amissam, beneficiò Castorei illam stupendà cum admiratione & & gratiarum actione recuperasse scribit, quod priori fidem non omninò derogandam esse, suadere videtur.

§. 3. II. *Corpori*, siquidem ex pellibus Castorinis integræ vestes & III. *Manibus & pedibus* chirothecæ ac tibialia integrantur ad frigoris & aquarum, quibus mirandum in modum resistunt, injuriam arcendam; ne adducam (quod ad præcedens membrum spe-

ſpectat) Myropolam quendam Noricum pedibus manibusq; doloroſis ex pelle Caſtoris confectas manicas & caligas ſummo cum fructu applicaſſe, referente D. Franco l. c.

## IV. Sacrum Hieroglyphicorum & Simulacrorum conditoribus argumentum.

I. Joann. Pierius *Hieroglyph. lib. 13. cap. 20. edit. ult. de Ann. 78. pag. 155.* ſub Titulo, *Petulantiæ ſupplicium*, Caſtoris figurâ Ægyptios Sacerdotes eum, qui pœna ob nequitiam, qua fuerit in muliere aliqua petulans, affectus & præſectis teſtibus ſit dimiſſus, ſignificaſſe notat. Cujus Hieroglyphici fundamentum, licet falſitatis fucô ſit conſpicuum, ipſe Pierius illum de Caſtore ſeipſum caſtrante ettorem Seſtii autoritate fretus confuret, ipſam tamen rem excuſat, hæc ſubjiciendo: *Licetq; vera ſit*, ait, *ſive ſponte, ſive vi teſtes auferantur, cùm ſatis conſtet, eos eâ præcipuè de cauſa conquiri, non incptè datum Hieroglyphica locum, ut per id animal, id ſupplicii genus oſtenderetur, quo mucborum laſciviæ punitis conſerviit, atq; ita malè tractari.* Idem cap. ſeq. ſub inſcriptione hac: *Atri feſtiq; dies*, picturâ partium Caſtoris anteriorum, quibus pro carne veſci licet, feſtos dies; at partium poſteriorum pedum & caudæ figurâ (quia piſcium naturam & ſaporem referunt; piſcibus autem, non carnibus, jejunii tempore Pontificiâ conſtitutione veſci concesſum,) atros dies ſignificari tradit.

II. Caſtoris iconem *ad Parem* figurandam Ripam, Scriptorem Italicum in ſua Icanologia adhibuiſſe, ex Aldrovando adduco: Primâ facie delineavit ille mulierem ſedentem, alcyonem autem gremio foventem, illiq; figuram Caſtoris teſtes dentibus evellentis addidit. *Alcyon* adeſt, quia obortâ maris ſummâ ſilentibus ventis tranquillitate in maris litore avis iſta nidulatur: *Caſtoris* figura, quòd ad prælium evitandum Caſtor ſe caſtret, additur, quæ tacita alterius figuræ ſignificatio ſuum quidem fundamentum in mente, at non in natura, invenit. Significationem autem ex Saporis Regis in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem exarata prudens colligit, qua ille ſvaſit, ut dimiſſa regni Aſiatici parte, exemplo Caſtoris, quieti & incolumitati ſuæ conſuleret Imperator.

V. Exi-

## V. Eximium Symbolographis oblectamentum.

§. 1. Novus ille Mundi Atlas D. Philippus Picinellus in vasto Emblematum opere, quem, *Mundus Symbolicus*, inscripsit, *lib. 5. cap. 14.* varia de Castore, potissimum à castratione, quam sibi ipsi Venatorum Castorei gratia insequentium impetum elusurus administrare creditur, petita Emblemata condidit, & in medium protulit. Novit quidem Vir, doctus æquè ac laboriosus, Scriptores varios illam de genitalium amputatione opinionem absolutè negare, in affirmantium tamen, quos citat, sententiam inclinare pergit, ea dubio procul, ut conjicere licet, de causa, ne propriâ falsi confessione Emblematum suorum gratia pereat. Ea sunt, & quidem ex Camerario: MODO VITA SUPERSIT. vel: UT VITAM REDIMAT. ex Aresio: CAPIANT NE CAPIAR. vel: SÆVIO NE SÆVIAMT. vel: CLEMENTER SÆVIO.

§. 2. Majori candoris laude commendandus venit Vallesius *sacr. Phil. pag. 63.* ubi dicit, hæc conficta esse ad significandum, hominibus, prudentes si esse velint, pro adipiscenda salute, nullam esse habendam rationem fortunarum. Et paulò post: Verùm re, ut habet, intellectâ, planèq; perspectâ, dicet Philosophus, hominem, qui in naufragii periculo merces vestesq;, & omnem supellectilem, mittit in mare, similem esse Castori præcidenti sibi testes, cum urgetur à venatoribus. Qui tamen Philosophus arguendus non est, quòd affirmet, Castorem sibi testes secare. Non enim affirmat, sed per moralem fabulam docet homines prudentiam. *Hæc ille.* Quanquam alii bono viro & sapientiæ studioso cum Philosophiæ finis sit veritas, ubiq; fabulas fugiendas esse contendant.

§. 3. Alciatus quoq; arreptâ ex eodem commento occasione indigitaturus arte quandoq; salutem redimendam esse, ita canit:

*Et pedibus segnis, tumidâ & propendulus alvo,*
*Hac tamen insidias effugit arte Fiber.*
*Morderus ipse sibi medicata virilia vellit,*
*Atq; abjicit, sese gnarus ob illa peti.*
*Hujus ab exemplo disces non parcere rebus,*
*Et vitam ut redimas hostibus ara dare.*

§. 4.

§. 4. Castor, ubi pede vinculis constrictò sese captum animadvertit, mox, ut deperditam libertatem recuperet, ligatum pedem dentibus arrodit ac præscindit, unde Lemma hoc Picinellus confecit: PEREAT NE PEREAM, quo vitæ ac libertatis amor significatur. Verùm Castorem ita constrictum pedem suis dentibus arrodere ac præscindere, in nullo Zoographorum mihi occurrisse fateor. Huic autem ejusdem meritò concedatur locus: DONEC DECIDAT, quo Homo in alterius ruina pertinax exprimitur, sicut Castor in arbore arrodenda tamdiu non acquiescit, donec decidat.

§. 5. Joachimus Camerarius *Cent. 2. symbolor. & Emblem. ph. p. 192.* Iconem Castoris arborem proceram constanti nisu & morsu præcipitantis hac Epigraphe ornat: PERSEVERANDO, subjunctò hoc disticho:

*Quid non perficiat labor improbus? aspicis arbor*
*Ut cadat à morsu Castoris assiduo.*

Quo Autor Lectorem, & labor hic noster hoc ipso Studiosam Juventutem ad perseverantiam in laboribus perferendis, studiis perficiendis & tædiis superandis admonet. Nam, Seneca VI. *Epist. ad Lucil.* prudentissimè attestante, nihil est, quod non expugnet pertinax opera & intenta ac diligens cura.

## VI. Appositum morum per similia documentum.

§. 1. Illustris in Rhetorum disciplinis locus, qui Similium est, Oratoribus amplum copiosiùs & ornatiùs disserendi campum ad Auditorum animos catenis, tam rerum quàm verborum, gravissimis illaqueandos aperiunt. Ista autem, ut à cæteris rebus, quibus absolvitur rerum orbis, ita ab animantibus quoq;, eorumq; ingeniis variæ pulchertimæq; comparationes duci possunt, id quod non tantum calamò facundo facundus Buchnerus *in Præfat. Histor. Animal. D. Franzii edit. sextæ præfixâ* prodidit, sed & D. D. Franzius ipse ipso opere tam judiciosè quàm laboriosè elaborato probavit, qui à Castore similia *part. 1. cap. ad.* sub Tit. Lutra, pluribus tamen communia animantibus, quæ ibidem recensentur, petit, ut sunt Mustelæ, Martes, Fœides, Viverræ, Zobelæ, Mygalæ & Meles, item Erynacei, Fibri, subditq;, hæc omnia animalia pulcerrimam

continere imaginem, & aliorum hominum, qui privatas agunt vitas, & tantum prospiciunt sibimet ipsis & suis de necessariis partibus ad victum & amictum, neq; in alias terras excurrunt, neq; arte vel Marte consiliis & aliis rebus juvant communem salutem Imperiorum, sed tantum sudant & festinant in augenda re œconomica pro se & suis. Specialiorem applicandi rationem ex eodem, quia liber plurium manibus teritur, adducere supersedeo, & ex Ulyssis Aldrovandi vasto opere, quod, cùm cari pretii sit, pauci versare queunt, moralia brevibus adduco.

§. 2. Doctrinam moralem Autor iste variis à Castore petitis documentis augere satagit, quando Castorem DEO, Christianis, Diabolo & Peccatoribus, ipsum deniq; Castoreum Castitati assimilare studet.

§. 3. I. *DEO.* Sicut amphibium nostrum animal domicilium suum juxta aquas ædificat: ita DEUS propriam domum, nimirum Ecclesiam, juxta fluvium imbecillitatis & fragilitatis humani generis ædificavit, eiq; varia religiosorum ordinum domicilia adjunxit, ut peccantes ubiliber solatium inveniant, juxta illud *Matth. 10. cum vos persequentur in una civitate, fugite in aliam.* II. *Christianis*, quatenus hi, Castoris venatore conspectô seipsum castrantis more, se propter regnum cœlorum castrant. Verùm cùm fundamentum assimilationis vanum esse ex superioribus pateat, hoc transeat. III. *Diabolo*, qui ad Castoris, non solùm carnem, sed & ossa perpetuô morsu frangentis, indolem, non modò carnem i. e. corpus peccantium, verùm quoq; ossa, i. e. animam devorare conatur. IV. *Peccatoribus*, tum *non resipiscentibus*, qui Castoris instar jam in aqua voluptatum natant, jam in terra cum hominibus ob superbiam elatis, aut cum avaris versantur; qui totum corpus in luxum solvunt, deinde caudam, i. e. finem vitæ in aquis deliciarum servant: tum *resipiscentibus*, qui more Castorum secus flumen pietatis & observantiæ in superos habitant, ibiq; infimum, supremum & medium conclave ædificant, ut, tanquam Castor, crescentibus adversitatum aquis per gradus, quos Inferni, Purgatorii [orthodoxi nullum nisi sacrum regenerationis fontem & sangvinem Christi Salvatoris ex sactis purgatorium rectiùs norunt] & Paradisi contemplationes nominat, ab infimo ad supremum & DEUM ipsum adscendere queant, ne Christicolæ adversita-

ſtratum amne obruantur, & in æternum pereant. V. *Caſtrati* Caſtoreum, medicamen ad varias ægritudines efficacisſimum aſſimilat, cujus caſtimonia æmula varios animi morbos efficacisſimè pariter expugnat, venenumq; æternæ pravitatis profligat.

## VII. Expertum Balænarum avocamentum.

Norvegiæ litus à Caſtro Vardhus vernò tempore, à Balænis vaſtæ magnitudinis magnóq; numerò gregatim ad prolificandum convenientibus infeſtatur. Hæ centum nonnunquam cubitos ſuperantes horrendum rugiunt, ſpiracula in ſumma fronte duo habent cubiti proceritate patentia, undasq; nimbi denſi in modum efflant. Naves, quæ vel in earum corpora, vel in vortices aquarum, quos hæ faciunt, (instar Charybdis) agitatione ſuâ, delatæ fuerint, periclitantur. Remedium autem præſentisſimum navigantibus notum eſt, Caſtoreum ſcil. quod aquâ dilutum in mare effundunt. Hoc tanquam aconitô peritus grex Balænarum totus repentè disſipatur, & in profundum ferrur. Zieglerus in Scandia apud Zvvingerum *Theatr. volum. 23. lib. 2. pag. 4000.* Ne autem naves tergô cum navigantium periculô elevent, Caſtoreum iſti in prora navigiorum inter aſſeres abſcondunt, ut ſemper ſecum navigaturi habeant. Balænæ naves ſubternatantes, in quibus Caſtoreum latet, vel ſi lignô Caſtorei fruſtulô alligato petantur, dictum factum fundum petere, lapidis instar coguntur, teſte Th. Bartholinô *Act. Haffn. vol. 1. obſ. 49. §. 8.* qui olfactu exquiſito præditam eſſe Balænam, ut Caſtorei gravem odorem non ferat, judicat: fortisſimam etiam pellendi vim in Caſtoreo inesſe ſuſpicatur idem *Cent. 2. Hiſt. Anat. 17.* confirmatus hiſtoriâ, quam à ſuo Socero Insularum Ferroenſium, ubi frequentes ſunt Balænæ, peritisſimô accepit, de Urinatore quodam egregiô, Caſtoreum ſecum portante. Hic enim naufragium paſſus cum ſociis præter expectationem ſubitò abyſſum maris petiit, aliàs natare doctisſimus, reliquis comitibus ſalvis ſine caſtoreo navigantibus.

# APPENDIX

## annectit, quod Caſtor infert, nocumentum.

§. 1. Uſui ſive commodis, quæ Fiber confert, incommoda & noxam, quam idem infert, ſubjungimus. Nam ut Ovidius *lib. 1. Triſt.* canit:

*- nil prodest, quod non lædere possit idem.*
Noxam infert vel *per se vel per accidens.* *Per accidens* quidem quatenus abusus in carnis castorinæ vel non debitè præparatæ, vel ultra temperantiæ leges ad repletionem nimiam assumtæ committitur, ita ut ad Cacochymiam Homo inde disponatur; aut quatenus medicamenta è castore parata vel ex eo naturali morte aut ægritudinibus defuncto, vel corrupta, vel neglectò utendi modò debitò, assumuntur.

§. 2. *Corruptum Castoreum* inter venena refertur, cujus alexipharmacum D. Giesvvein *Hodeg. Medic. 193.* ponit citri & limonum succum, coriandri semen adustum: aliàs Castoreum salvum inter antidota refertur adversus Aconitum, morsum aranearum & phalangiarum puncturas, noxias opii & pestem, ingreditur etiam ipsam Theriacæ Andromachi compositionem.

§. 3. Castoreum, licet odoretenus prosit mulieribus hystericis, intra corpus tamen sumptum mulieribus nocumento esse contendit Zvvelferus *Pharmacop. Reg. class. 6. pag. 65.* ratione hac motus: *Quemadmodum*, inquit, *Castoreum intra corpus sumptum, vi loco movendi, deprimendi vero aut rectius fugandi Matricem odoretenus tantummodo perceptum præditum est virtute: Ergò contrarium morbo moliuntur, ii, qui Castoreum Hystericis Mulieribus infundunt, aut etiam inferne seu partibus inferioribus femoribus scilicet, alligant, cujus facinoris felicem successum videre mihi nondum licuit.* Th. Bartholinus *Medicin. Danor. domest. dissert. 5. pag. 212.* huic faver, qui observavit mulierem quandam ab externo castorei usu bene se habuisse, contra ab interno malè, ita ut erectò corpore suffocationis periculum præcavere fuerit coacta. Hœchstetterus *observ. Med Decad. 4. cas. 3.* ad hystericam convulsionem grana tantum duo Castorei in duobus Mithridatii scrupulis exhibita ingentes mulieri turbas dedisse refert. Marius *loc. cit.* p. 50. Castorei usum in mulieribus gravidis magnò cum periculo conjunctum esse ac citissimè abortum promovere, idq; se ex quadam muliere compertum habere scribit, cui uteri suffocatione laboranti multa de castoreo interne propinata & externe applicata fuerunt, inde ea mox abortivit, & fructum immaturum tredecim hebdomatum in lucem edidit.

§. 4. Verùm enim verò ad hæc respondemus 1. Experientiæ experientiam opponendo, idq; ex monumentis curationum medi-

cl-

cinalium experientissimorum Medicorum labore, conditis roborando. Ea reiterare operæ pretium haud existimamus, præsertim cùm moderna Medicorum Praxis, & receptarum Pharmacopolis traditarum formulæ castoreo instructæ, istud tutò exhiberi, hujusq; facinoris felicem videri successum, toto die testentur. Pulverem Castorei per se cum aqua chamæmeli vel cerevisia exhibere Forestus in more, & in præsens etiam vulgus hactenus, habuit: jam verò Medicina præsentis seculi comptior Essentiam & Extractum majori gratiâ exoptatò cum successu hystericis propinat. 2. Distingv. inter id, quod *per se* & quod *per accidens* evenit. Hœchsteteri ægra, quæ corporis succulenti fuit, ad iram prona, in laconico animo subitò defecit, gravissimis & variis deinceps correpta symptomatibus, texturâ sangvinis ratâ fuit prædita, cujus rarefactionem eo tempore laconici æstus auxit, oleumq; igni Castorei exhibitio addidit, siquidem Castoreum tum ob sulphur, quo abundat, tum ob acrimoniam volatilem, sangvinem & spiritus in majorem motum concitavit, & proinde causæ morbificæ discuriendæ istius usus fuit impar. Contra natibus exterius oblatum Castoreum dum effluvia attrahit morbifica, non ita exagitat, sicut exhibitum & κατ' ογκον sangvini permissum. Qualis illius apud Bartholinum hystericæ constitutio fuerit, cùm lateat, de Castorei in ea effectu judicium sanum ferri nequit.

§. 5. Matio suo, Castoreum abortum concitare affirmanti, Francus negat, æternæ hoc esse veritatis, quòd noverit mulieres gravidas, quibus in strangulatione uteri castorina tam internè, quàm externè propinata fuerint: item virginem pressam castoreum sæpissimè drachmatim devorantem, absq;, ceu in votis habuit, abortionis sequelâ. Statuit autem, nec malè, Castoreum in dispositis ad abortum, h. e. si vasa sunt laxa, & fœtus admodum debilis, exclusionem omninò expedire posse, contra verò ritè adhibitum, non uteri tonum solum confortare, sed & ab omnibus invasionibus conservare, quemadmodum hystericis sine fœtûs læsione fructuosè sæpiùs propinaverit.

§. 6. Plinius N. H. *lib 32. cap. 3.* Castoreum somnum conciliare cum rosaceo & peucedano, perunctò capite, scribit, idq; Lucretius etiam his verbis adstruit:

*Castoreoq; gravi mulier sopita recumbit.*

quasi vi Castoreum narcoticâ præditum cœlum microcosmicum infestet. Verùm cùm Plinius eodem in loco mox Castoreum lethargicos odoris suffitu excitare, subjungat; Lethargus autem inter soporosos affectus, qui discutientia & penetrantia postulant, veniat, sanò sensu id capiendum esse nemo non intelligit, quem Dn. D. Faschius doctè locò sæpius allegatò exponit, istumq;, somnum conciliandi effectum, per accidens produci docet: *Vigilia*, inquit, *à dolorum accensâ face originem ducentes, eandem ut umbra corpus comitari solent, quatenus membranosa partes vellicantur, spiritusq; animales in motum inordinatum coguntur, unde somno nullus relinquitur locus. Remotis autem his obstaculis & face dolorum extinctâ, vigilia vel sponte evanescunt. Removere taliaposse castoreum & omnibus nervorum affectibus solatio esse, patet.*

§. 7. *Per se* noxam Castor morsu potentissimus infert, siquidem cum hominem invadit, dentium conventum non prius laxat, quàm concrepuisse persenserit ossa fracta. Alia incommoda ex his Anonymi cujusdam verbis, quæ citat Speidelius *Specul. var. Jurid. Polit. Hist. obs. & Notabil. lit. O. §. 50. sub Tit.* Otter- und Biber-Fang/colligimus, quibus Autor contra eos pugnat, qui cum D. Besoldo *volum. 1. consil. 3. rubr.* von der Fischerey/ jus venandi Fibros & Lutras ei solummodò, cui jus Forestæ competit, adscribunt. Inter alias, quibus ille utitur, rationes hæc facit verba: In übrigen ist nicht ein lauters Gedicht/daß Biber und Otter mit Untergrabung den Gestatten sehr großen Schaden zufügen/so wol mit Verderbung der Fischständ/als den Grund der Boden/ und hab ich solches selbsten in der Wertach offters gesehen/und will es noch oculari in spectione, qua non est firmior probatio, beweisen und demonstriren.

§. 8. Quæstionem autem ipsam, cui Fibros venandi jus competat, cùm à foro nostro aliena sit, ad forum juridicum amandamus, subjungentes, quasi additamenti & condimenti locò, ea saltem, quibus Speidelius Titulum & prædictam controversiam claudit, quibus & nos præsentem exercitationem claudimus: *Ut ut*, inquit, *hæc procedant, non tamen negandum videtur, quin nihilominus Domino Foresti licitum sit quoq;*, nach Otter und Biber *in flumine alterius, qui ibi jus piscandi habet*, so weit die Forstliche Oberkeit gehet/ zu stellen; *cum talis ex jure Foresti fundatam habeat intentionem, ita ut praventioni locus esse queat: nisi aliud prescriptione vel loci consuetudine esset in usu.* Tantum!

SOLI DEO GLORIA.

Co-

# Corollaria.

1. Insignia Serenissimæ Domus Saxonicæ Ruta bonô omine ornat.
2. Non, quia Hominis Anima generabilis est, hinc inferre licet, eandem corruptibilem esse.
3. Elementa qui alterari negat, sensuum testimonio convincitur.
4. Immoderata adbibendi consvetudo à Germanorum veterum hospitalitate non immeritò derivatur.
5. Scholæ Salernitanæ consilium sequens experientissimi sanitatis custodes improbant meritò:

*Si nocturna tibi noceat potatio vini*
*Hoc tu mane bibat iterum & fuerit medicina.*

---

*CASTOR præfulget velut inter sidera noctis;*
*Sic Tu CASTOREI præcelles lumina quondam,*
*Stemmatis, ac tanto Te sistes nomine dignum,*
*Id tua præsagit docilis solertia nobis.*
*Si hæ veris fruges, quæ autumni messe sequentur?*

Hisce paucis generosissimo Dno Respondenti à Bibra, amico suo non vulgari, gratulari voluit

Frid. Seb. de Stein ab Altenstein, p.t. Aulæ ac Regim. Coburg. Consil. & Statuum ibidem Director.

Ma-

Majorum titulis generisq; propagine summa
Digne BIBRA, Nostræ portio chara Scholæ:
Sic genus & proavos claris virtutibus anteis
Palladiæ curans gentis honore frui.
Scilicet exemplis virtus connata juvatur,
Hæredesq; etiam gestit habere suos.

*Generosissimæ propaginis atq; indolis Equiti, Auditorum suorum hactenus lectissimo, denuò rarioris in studia impetus specimen edituro, applausu gr. scrib.*

*Johann-Augustus Stempel. SS. Theol.*
*D., P. P. & Gymn. Cob. Dir.*

---

*En mirum! mutus cum piscis creditur omnis,*
*Nunc iterum auditur verba diserta loqui*
*Piscis nomen habens: & vult ostendere, multos*
*His homines mutos piscibus esse magis.*

Ita raræ eloquentiæ Nobilem admiratur
*Carol-Paulus Hönn D.*

---

Qui Medico-Physicam spectas in CASTORE formam,
Perfectus CASTOR nomine req; clues.
Scilicet amphibium te doctum & nobile monstras,
Cum Themidos arti jungis Apollineam.

*In honorem plur. honorandi Dni Respondentis gratulabundus deproperabam*
Georgius Paulus Hönn D.
Mo-

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Monografien Vertebrata Mammalia

Jahr/Year: 1686

Band/Volume: 0150

Autor(en)/Author(s): diverse

Artikel/Article: De Castore vel FIBRO 1-167